I. M. I.

VIA CÆLESTIS SAPIENTIÆ
VESTIGIIS EXERCITIORUM S: P: IGNATII Soc: JESU FUNDATORIS.

RELIGIOSIS VIATORIBUS.

Ad Perfectionis culmen tendentibus DEMONSTRATA

à P. Antonio Swirczynski S: J: Theologo

Annô SAPIENTIÆ INCARNATÆ 1727.

Opus Posthumum.

SANDOMIRIÆ
Typis S. R. M. Clari Collegii Societatis JESU.

APPROBATIO

Librum, cui Titulus: *Via Cælestis Sapientiæ &c.* operâ Admodum Reverendi Patris Antonii Swirczynski Societatis JESU, æqué pié, ac erudité conscriptum legi, qui cùm nihil Orthodoxæ Fidei non consonum in se contineat, imò ad amorem Dei & pietatem summopere legentem excitet, ideo, ut post detersam Typi sepiam, in Lucem Publicam prodire possit, dignum censeo, & concedo facultatem. Datum Cracoviæ in Collegio Majori A. D. 1727. 11. Calendas Maij.

M. Martinus Waleszynski S. Th. D. & P. Collega Major, S. Floriani ad Cracoviam, Scarbimirien: & S. Michaelis in Arce Crac: Custos, Cancellarius Łancicien: Premycovien. & Montis S. Georgii in Scepusio Præpositus, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Procancellarius, Librorum per Diœcesim Cracovien: Ordinarius Censor.

MP.

MARTINUS TRAMPCZYNSKI.

PRÆPOSITUS PROVINCIALIS Soc: JESU per POLONIAM.

CUm Opus, quod inscribitur: *Via Cælestis &c.* Et additamentum, cui Titulus: *Via Regia*, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Nostro Michaële Angelo Tamburino Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. In cujus fidem, has Literas Manu meâ firmatas & sigillô munitas dedi. Cracoviæ 5. Aprilis Anno Domini 1727.

M. TRAMPCZYNSKI Soc JESU

MP.

(L.S.)

BEatus vir, qui in Sapientia morabitur, & qui in justitia sua meditabitur: & in sensu cogitabit circumspectionem DEI. Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, & in viis illius consistens. *Eccli:* 14 *v:* 22. 23.

Sapientia ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ? abyssus dicit: non est in me, & mare loquitur, non est mecum, non invenitur in terra suaviter viventium. *Job:* 28.

Viam Sapientiæ monstrabo tibi. *Prov:* 4.

Sapientia Justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum DEI, & dedit illi scientiam Sanctorum. *Sap:* 10.

In præsenti vita, quasi in via sumus, qua ad Patriam pergimus. *S. Greg: hom:* 11. *in Evang:*

PARS PRIMA
INGRESSUS
Viæ Cæleſtis Sapientiæ
Per Viam Purgativam.

UT rectè decurratur Via Purgativa, imprimis intelligendus eſt Religioſo Viatori finis tum ſuæ Creationis, tum ſuæ Vocationis, ſimúlq; media ad utrumq; finem conducentia. 2dò: cognoſcantur impedimenta, & pericula ab eo fine detrudentia. 3tiò: tandem provideantur adjumenta, & media, quibus removeantur ejusmodi obſtacula, evitentúrq; pericula. Hiſce verò omnibus præmittenda eſt meditatio præparatoria, excitans ad eam viam non ſegniter decurrendam.

MEDITATIO Præparatoria

PRæl: 1. Constitue te, ante pedes S: Patris Ignatii librum exercitiorum tibi offerentis, & te ad solitudinem invitantis.
Præl: 2: Petitio auxilii Divini ad Sanctè & fructuosè hæc exercitia absolvenda, & alacriter ea inchoanda.

PUNCTUM 1mum.

Exactè & diligenter peragenda Exercitia.

COnsidera motiva, quibus ad omnem conatum in his exercitiis, exactè peragendis, excitari possis: & primum est: quia hæc Exercitia, sunt experimentum, & fundamentum totius vitæ Religiosæ; qui itaq; desiderat vitam suam Religiosam, stabilem & firmam, debet omnem diligentiam adhibere, ut fundamentum ejus sit solidum, & non neglectim positum.

2*dum*: Quia Exercitia Spiritualia, sunt schola virtutis, in qua, sub Magisterio Spiritus Sancti, discitur vitæ ac morum honestas, & acquiritur notitia rerum, ad DEUM & salutem animæ spectantium. Quis sub tali Magistro non ambiat discere suæ animæ salutaria? Quis ad hanc solitudinem non aspiret, ad quam Deus ducit animam, ut ei loquatur ad cor juxta illud Oseæ 2: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ei ad cor.* Quis cum desiderio & gaudio illud tempus non acceptet, quo soli DEO vacandum est, & cum DEO conversandum? quæ enim jucundior, & sublimior conversatio optari potest? O DEUS meus, en libens sequor te in solitudinem, ad quam me ducis, ut loquaris mihi ad cor, & discam meliùs audire Te & loqui Tibi, doce me orare, ut sine intermissione Tecum agere discam, & dignum me effice ejusmodi conversatione.

3tium: Quod nos ad omnem fervorem excitare debet, eſt Major DEI gloria, ad quam procurandam, lege Divina & humana obligamur, neq; enim illi aliquot ſeptimanas, ſed totam vitam debemus. Dedimus tot annos vanitati in mundo, cur DEO, & gloriæ ejus breve tempus negabimus? multos dies peccando perdidimus. Ergone eam jacturam paucis diebûs ſupplere non curabimus? Videamus, quæ & quanta contra DEI honorem commiſimus? juſtum itaq;, ut Sanctioribûs Exercitiis malè acta compenſemus.

4tum: Quod nos ad accuratam diligentiam urgeat, eſt Chriſtus Magiſter noſter, qui nos verbô & exemplô provocat, ad exactè peragenda exercitia. Provocat verbô, ubi dicit: *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum*, ipſæ collectiones ſunt cubiculum cujusq;. Provocat exemplô, manens ipſe quadraginta diebûs & noctibûs, in ſolitudine, certè non ex ſua neceſsitate, ſed ad noſtram neceſsitatem. Vide ergo, ut Tuo Magiſtro conformeris, & Chriſtum ſolitarium imiteris. Dic cum Sancta anima, *Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi.*

5tum: Tandem eſt neceſsitas tuæ animæ, cui Deus multa bona & gratias parat, in Collectionibus, quas negligere periculoſum valde, & deſertioni Divinæ obnoxium. Ad quid enim in hac Religione Novitiatum inchoâſti, niſi ut pro tota vita ſufficientem annonam colligeres? ad quid te Societati addixiſti, niſi ut eâ fundamenta poneres, quibus tutò ædificium Spiritualis vitæ, & ſtructura virtutis, inſiſtere poſsit? Ex his Collectionibus Societas nata, per illas crevit, & hucusq; feliciſsimè conſervatur, nec tu aliâ viâ ſperes te profecturum aut in Societate perſeveraturum, niſi per hæc Exercitia mundo & tibi moriaris, ſoli autem DEO vivere incipias. Reſolve te ad omne ſtudium accuratiſsimum, ut de te Religio bonam ſpem concipiat. Pete

auxilium à DEO, Beatiſsimæ ſolatia, & Sanctorum patrocinium.

PUNCTUM 2dum.

Quis modus ritè peragendi Exercitia S: Patris?

COgita 1mò: ut rectè peragas hæc Exercitia, neceſsariam eſse ex parte DEI gratiam illuminantem tui intellectûs, & gratiam moventem tuæ voluntatis. Nam ſine Divina illuminatione & motione, eſt homo tanquam ager ſine cultura, tanquam locus caliginoſus ſine lucerna, tanquam oculus ſine pupilla, tanquam corpus ſine anima, & vitæ motu. Vide quantæ tenebræ in tuo intellectu, quanta ignorantia circa æterna, quam rebellis tua voluntas ad Divina. Agnoſce te indignum omni gratia DEI, qui te toties ab eo avertiſti, & in tenebris peccatorum hæſiſti, humilia te coram DEO. Pete per ejus miſericordiam illuminari. *O Lux Beatiſſima reple cordis intima tuorum fidelium, ſine tuo Numine, nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium,*

Cogita 2dò. Ex parte tua neceſsarium eſt 1mò, ut omnia non perſunctoriè, ſed seriò, ferventer, juxta præſcriptum ordinem, & quidem perſeveranter agas. 2dò ut amoveas omnia impedimenta, vincas tentationes heroicè, tædia, ac teipſum in omnibus. 3tiò ut additiones S: Patris obſerves, & Regulas modeſtiæ, præcipuè autem oculos, & linguam cuſtodias. 4tò ut in omnibus recurras ad ſuperiorem, nec ullas celes tentationes. Ad hoc reſolve te cum gratia DEI, fortiter ſtatue te proceſsurum, in his Collectionibus, juxta præſcriptum & directionem S. Patris Ignatii, nihil volendo immutare, differre, ex omnibus etiam minimis.

PUNCTUM 3tium.

Sublimior intentio pro Collectionibus.

COgita & exquire ex tua voluntate, utrum libenter hanc ſolitudinem

dinem obire velis? ad quos fines, omnes tuas cogitationes, ſuſpiria, verba ſive ſcribenda, ſive legenda, motus ſive internos ſive externos, momenta temporis, omnesq; exercitiorũ circumſtantias ordinare intendas? Ordina primò: ut debitum DEO honorem gloriam & cultum deferas. 2dò ut per Exercitia omnium virtutum, tam moralium, quam Theologicarum actus elicias, fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, obedientiæ, mortificationis, humilitatis. 3tiò: Ut Chriſtum quadraginta diebûs in ſolitudine degentem imiteris. 4tò: Ut omnium Sanctorum inſiſtas veſtigiis, qui easdem Collectiones peragebant. Utinam illorum affectibûs, devotione, fervore, & applicatione ea decurras. 5tò: Ut mentem & imaginativam tuam potentiam, imbuas Cæleſtibus imaginibus, per varias Sanctas conſiderationes. 6tò: Ut te tanquam reum includas carceri, & ſatisfacias pro peccatis. Cum Pſalmiſta dicendo: *Ego vinctus in Domino.* 7mò: Ut te conſortiô & converſatione hominum prives, in pænam, quòd toties inter illos deliquiſti 8vò: Ut te mortifices, & abſtrahas ab omnibus rebus creatis. 9nò: Ut impetres, tum tibi, tum aliis dona maximè neceſsaria; 10mò: Ut explices coram DEO deſiderium, unionis cum DEO. 11mò: Ut prægustes Cæleſtis beatitudinis dulcedinem. 12mò: Ut ſenſibus frenum injicias: oculis quidem, avertendo illos ab omni vanitate, linguæ, in arcto ſilentio eam conſervando, auribus. &c. 13tiò: Ut ſaltem hîſce diebûs, mundo & rebus caducis plenè moriaris. 14tò: Ut hanc particellam vitæ tuæ, perfectiùs DEO conſecres. Offer tuam libertatem, intellectum, memoriam, voluntatem, affectu S. Patris Ignatii.

Suſcipe Domine univerſam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, voluntatem. Accipe corpus & animam meam, & omnia. Invoca Spiritum Sanctum, Veni Sancte Spiritus & emitte Cælitùs lucis tuæ radium. &c.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

DA mihi Domine donum orandi. Moriar mundo, vivam tibi DEUS meus. Servus tuus sum ego, non ampliùs meus, non ampliùs mundi. Væ illi tempori, væ momento, quo non amavi te, quo non servivi tibi. O anni! o dies anteactæ vitæ meæ, quomodo transîistis? Gressus meos dirige, secundùm eloquium Tuum, ut non dominetur mei, omnis injustitia. *Psal.* 118.

CAPUT 1:

De Fine Creationis & Vocationis Religiosæ & Mediis ad utrumq; finem.

SIquidem salus & perfectio cujusq; Religiosi, maximopere pendet à notitia utriusq; prædicti finis; separatim de uno quoque agetur, simulq; de singulorum mediis.

§. 1mus.

Quis Finis Creationis?

DUplici meditatione examinatus innotescet finis Creationis: quarum 1ma: declarabit à quonam? ex quo? & qualis homo sit creatus? 2da edocebit, ad quem finem est creatus?

MEDITATIO 1ma.

De Creatione hominis.

PRæl: 1. Colloca te coram DEO formante hominem de limo terræ, eidémq; animam & vitam inspirante.

Præl: 2: Pete gratiam cognoscendi beneficium Creationis, & pro illo gratias agendi.

PUNCTUM

PUNCTUM 1mum.

Homo à quo est Creatus?

COgita 1mò: Quòd DEUS te creavit ô homo! non mundus, non voluptas, non divitiæ, non honores, non aliæ res, sed DEUS ipse fecit te, ut esses is, qui es. Accinente Psalte: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Psal.* 99. Credisne huic veritati ô anima? credo Domine, credo, tu adjuva incredulitatem meam. Recognosco Domine, quòd tu sis Creator meus, Dominus meus, & DEUS meus, opus manuum tuarum ego sum.

Cogita 2dò. Si credis, quòd DEUS te fecit, non mundus, non caro, non honores; Cur ergo mundo, carni, commodis tuis non DEO adhæres? Cur DEO soli non servis? qui tuus Creator & plasmator est. Ah Domine hæc est cæcitas, hæc dementia mea, ut cum totum meum esse à Te habeam, non Tibi nec tuis obsequiis, sed vanitati potiùs me impendo. Confundor totus ante te, & confiteor, quia tu plasmâsti me, Miserere ergo mei, da mihi intellectum. En jam totum me tibi trado. Suscipe universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, voluntatem, accipe corpus & animam, totus jam tuus esse volo, qui me totum fecisti. Ejuro mundum, ejuro vanitatem, odi carnem, servus tuus sum ego.

Cogita 3tiò. DEUS dedit tibi corpus, dedit DEUS animam, DEUS dedit omnia, quæ habes. DEUM itaq; super omnia æstimare, appretiare debes, plus apud te valere debet, quàm omnia alia. Itane hucusq; vixisti? itane DEUM æstimâsti? qui toties propter miseras nugas, illum offendere præsumpsisti. Confundere, deplora tuam stultitiam, appretia, extolle DEUM super omnia. Propone illum amare præ omnibus, contemne omnia & dic: *Adhærere mihi, DEO, bonum est.*

Cogita 4tò: DEUS te creavit ô homo, nullis tuis meritis ad id excitatus, imò pluribûs peccatis tuis prævisis. Creavit te DE-

US

US qui est, sibi soli sufficiens, nullius egens, ex sola sua bonitate. Vide, quis Dominus, servum inutilem, multo magis nocivum, & indignum foveat & conservet. Et te DEUS sicut fecit, ità conservat & fovet, licèt sibi inutilem, ac inobedientem, suàq; præcepta transgredientem. Admirare ejus bonitatem. Recognosce tuam indignitatem, erubesce inobedientiam, ama tam bonum Dominum & Creatorem tuum.

Amo Domine, amo & ampliùs ferventiùsq; amare desidero.

PUNCTUM 2dum
Homo ex quo Creatus?

COgita 1mò: Ante creationem tui, *v g.* ante centum annos, quid fuisti? nihil. DEUS itaq; eduxit te de nihilo; proinde tua Patria, tuus nidus est, nihil, & quidquid post creationem factus es, ex DEO es, & DEI totus es, ex te autem nihil es, & consequenter nihil potes. Ex quo inferas, quòd nihil tibi ipsi attribuere, & ex nulla re tanquàm tua gloriari debeas. Reflecte te, utrum in hac cognitione tui nihili persistas? utrum nihil tibi arroges? Audi Apostolum dicentem *Quid habes quod non accepisti?* DEO ergo non tibi laudem referre teneris, cujus sunt omnia. Quanta enim impudentia, ex alieno venari plausus, ambire laudes? O confusio! o dolor!

Cogita 2dò: Si de nihilo es, ergo gratô animô suscipere debes, dum pro nihilo apud alios reputaris. Et tu ad minimam etiam tuæ vilipensionis umbram excandescis irâ, cogitas vindictam, querimoniis reples domum. O corruptionem mentis humanæ! cur ô homo! refugis id haberi ac reputari, quod defacto ex te ipso es; lutum es, & aurô magìs æstimari cupis; nihil es, & aliquid videri appetis.

Cogita 3tiò: Si nihil es ex te? ergo quidquid tecum fecerit DEUS, quàmvis te omnium pedibus calcandum subjecerit, quàmvis

annihilaverit,

annihilaverit faciet id, quod tibi debetur; ergo nulla tibi injuria fuit, etiamsi omnes homines te contemnant, tui obliviscantur, te aversentur, contra te loquantur, quia nihilo, nulla inferri potest injuria. Hæc substantia tua, hoc patrimonium tuum, nihil fuisse & nihil esse. Agnosce id coram DEO, erubesce tuam superbiam, quod hucusq; nullam injuriam patienter sustinuisti. Propone æquô animô sufferre injurias.

Cogita 4tò: Quòd DEUS eduxit te de nihilo, postpositîs tot aliîs creaturîs, quas nec creavit, nec creabit, quàmvis Sanctiores & Deo gratiores fuissent, easq; in suo nihilo reliquit. Te autem ex tanta possibilium multitudine elegit, & de nihilo sublevans constituit in numero existentium. Obstupesce ad tam amabilem circa te DEI providentiam, gratias illi age.

PUNCTUM 3tium.

Homo qualis Creatus?

COogita 1mò. Quòd te DEUS creavit ad similitudinem & imaginem suam, hoc est creavit Spiritualem, quò ád animam, sicut & ipse Spiritualis est. Creavit immortalem, sicut & ipse immortalis est, deditq; tibi tres facultates Spirituales, memoriam, intellectum & voluntatem. Creavit te liberum, sicut & ipse liber est. Accepisti ô homo animam Spiritualem! quid igitur tibi cum sensualitate & corporis commoditatibus? factus es immortalis, quid ergo tibi cum transitoriis? Imago es DEI, vide itaq;, né hanc Imaginem deturpes vitiîs. Liberum te fecit DEUS, né ergo servus sis peccati, & mancipium diaboli. Reflecte te upra vitam præcedentem. Confundere, deplora omnes defectus. Propone.

Cogita 2dò: Creavit te DEUS, non inter tenebras, infidelium, nec inter gentes idola colentes, non inter errores hæreti-

corum, sed in lumine veræ fidei Catholicæ, ex Parentibus Catholicis. Item creavit te non ante adventum Christi, non eo tempore, quo omnis caro corruperat viam suam, non sub tempus Antichristi. Vide, quas gratiarum actiones DEO referre debeas? quæ desideria concipere, illi ferventer & constanter serviendi, quos affectus? ejus adorationis, exaltationis benedictionis, tui humiliationis. &c.

Cogita 3tiò: Creavit te DEUS, sanum mente & corpore, dedit tibi usum oculorum, linguæ, aurium, integras manus, & pedes, quæ multis aliis ademit, illos cæcos, surdos, claudos, mancos relinquendo, cum itaq; hæc tibi DEUS dedit, quæ aliis denegavit, ergo fideliùs illi servire præ aliis deberes. Ergo oculis, linguâ, manibus &c, ad ejus laudem, & obsequia, non ad offensam benefactoris utendum tibi esset, Quis enim tam malitiosus erit, ut hac ipsa framea aurô obducta, quam accepit à benefactore, contra eundem utatur. Et homo non semel oculis, manibus, linguâ, abuti præsumit, in contemptum DEI, ejusq; offensam.

Colloquium cum DEO creante.

O Domine Creator mi! quanta cæcitas animæ meæ, quâ impeditus, vix unquam cogitavi, de tanto beneficio creationis meæ. En nunc, procidens in faciem, tibi gratias ago pro beneficio creationis meæ & tot in ea donis. Confitebor Tibi Domine omnibus diebus vitæ meæ. Ecce ego opus manuum tuarum Domine, né quæso perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua, omnes potentiæ, corporis & animæ meæ, venite adoremus, & procidamus ante DEUM, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus DEUS noster.

Pater: Ave; Anima Christi.

ACTUS

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

QUi plasmasti me, miserere mei.
Opus manuum tuarum ego sum.
Né perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

MEDITATIO 2da.

De Fine Hominis.

pRæl: 1: Pone te in Conspectu tui Creatoris.

Præl: 2: Implora gratiam cognoscendi & tendendi ad finem tuum. Notum fac mihi Domine finem meum, & da gratiam, ad eum currendi, & perveniendi.

PUNCTUM 1mum.

Homo ad quem finem non est creatus?

COgita 1mò: Non ad hoc homo creatus, ut edat, bibat, dormiat, deliciis fruatur, ut suum honorem, commoditates procuret, sensualitati indulgeat, &c, sed ut DEO serviat. Hinc inferendum: ergo multùm aberrat, qui sollicitè famam, honorem, respectus humanos, carnis commoditates procurat, & de DEO vix aliquam cogitationem habet. Errat, qui calamô ad scribendum præparatô scindere, & cultrô scribere intendit. Similiter & ille errat, qui oculis, linguâ, non ad obsequia DEI, sed ad offensam utitur. Vide, utrùm & tu non sis, vel non fueris in eodem errore. Erubesce, deprecare DEUM, dole, propone.

Cogita 2dò: Non ad hoc homo creatus, ut humanam gratiam aucupetur, ut divitias colligat, respectibûs humanîs laboret, vanitati serviat, sed propter se DEUS creavit hominem. Vide itaq;, né sicut Dominus rejicit servum inutilem, quem ad

obſequia ſuſceperat. Agricola negligit agrum, ex quo fructus colligere nequit, Hortulanus admovet ſecurim ad excindendam arborem infructuoſam. Ita & te né projiciat DEUS à facie ſua, ut pote ineptum ad finem, ad quem creatus es. Time, humilia te coram DEO, Pete cum Pſalte: *Né projicias me à facie tua & Spiritum Sanctum tuum né auferas à me* Pſal: 50.

Cogita 3tiò: Non ad hoc homini DEUS dedit oculos, ut illis verſetur, circa creaturas cum offenſa DEI. Non ad hoc dedit aures, ut illis auſcultet ſermones iniquos. Non ad hoc pedes, ut ambulet per vias iniquitatis. Non ad hoc ingenium, ut illo ad perverſa abutatur. Non ad hoc voluntatem & cor, ut illa pravis affectibûs inficiat, ſed ut hîſce omnibus DEO ſerviat.

Reflecte te ſupra tuos ſenſus, & potentias corporis & animæ, quomodò illis uſus ſis; deteſtare omnes abuſus eorum. Implora auxilium DEI, ut illis in poſterum Sanctiùs utaris.

PUNCTUM 2dum.
Homo ad quem finem eſt creatus?

CReatus eſt homo ad hunc finen, ut in hac vita DEUM ſuum amet, illi ſerviat, & ejus præcepta obſervet.

Cogita 1mò: Credisné firmiter hominem creatum eſſe à DEO non ob alium, niſi ob hunc finem, ut DEUM ſuum amet, illi ſerviat, & ejus præcepta obſervet? juxta illud: *Omnia propter ſemetipſum operatus Dominus* Prov. 19 & ita verum eſt, non eſſe alium finem hominis, niſi DEUM, ejusq; gloriam & obſequium, ſicut verũ eſt, Deum, eſſe Deũ, adeoq; nihil eſt indubitabilius, nihil certius. Credo, domine, credo & malo potius in omnes venulas diſtrahi, milliesq; mori, quam vel minimùm dubitare de hac veritate.

Cogita 2dò: Creavit DEUS hominem, ut Eum laudet, cor-

de ore,

de ore, opere, tam in prosperis, quàm in adversis succesfsibus. Sicut Job benedicebat Dominum, sive in bonis, sive in malis. Vide, utrùm talis fuerit vita tua? laudastiné DEUM semper, corde, ore & opere? O quot verba! quot cogitationes transierunt, quot opera fecisti non ad laudem DEI! sed potius cum ejus offensa. Erubesce, deplora dies vitæ tuæ. Propone ab hinc toto te servire DEO.

Cogita 3tiò: Creavit te DEUS ô homo, ut eum reverearis in omni loco præsentem, & nihil agas, quod illius oculos offendat, atq; præsentem dishonoret. Creavit te, ut DEUM timeas, sicut sapiens Eccl: 12. docet: *DEUM time & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Reflecte te ad omnes vitæ tuæ annos, & proponenda propone.

Cogita 4tò: Creavit te DEUS, deditq; tibi memoriam, ut esses gratus & memor beneficiorum ejus. Dedit tibi intellectum né esses in actionibus tuis, *Sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*, & æterna eligas præ transitoriis. Dedit tibi voluntatem, ut te ad amandum summum bonum convertas, *sciásq; reprobare malum & eligere bonum.* Examina mores & vitam tuam, conformanturne hisce veritatibus? uterisne potentiîs animæ, eorumq; actibûs, ad finem ad quem es creatus? Erubesce, deprecare DEUM, abrenuntia omnibus vanitatibus, & redde totum te Creatori tuo.

PUNCTUM 3tium.

Creatus est homo, ut post hanc vitam salvus fiat.

COgita 1mò: Quòd ad hunc finem vita cujusq; collimare debeat, ut post illam, felicem assequatur æternitatem, & in terrîs vivere desinendo, in Cælo cum DEO vivere incipiat. Vide quanta felicitas hominis, nullum enim majus bonum cogitari po-

test quam frui æternum DEô nihil infeliciùs, quàm ab ejus conspectu abjici. Vide, quò tuæ vitæ gressus contendant?

Cogita 2dò: Quòd omnes hujus vitæ actiones ordinare debeas, ut salvus fias, & Cælum per eas, acquiras. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Vide, ut æstimes tuam sortem, qua te DEUS vocavit, ut sis hæres Regni Cælorum. Quid putas! quanta felicitas esset ruricolæ, aut alicujus in fimo pauperculi, si ad Regiam elevaretur dignitatem & hæres alicujus Regni constitueretur. En tecum id facit DEUS ô homo; quantam ergo illi gratitudinem debeas; perpende.

Colloquium cum DEO.

DEplorabo omnes dies vitæ meæ DEUS, quòd hucusq; vili animam meam & salutem duxerim. En jam Domine DEUS meus, ad te omnia vota mea, & intentiones meas dirigo, tuus servus esse æternùm volo. Né projicias me à facie tua & Spiritum tuum né auferas à me.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

DOminus meus & DEUS meus Joan: 10.

Totum te exigit, qui totum te fecit S. Aug.

Servus tuus sum ego, da mihi intellectum Psal: 118.

Fecisti nos propter te: inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. S. Aug: l: 1. Con: c: 1.

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI

De Statu vitæ & Officio, quo quis fungitur.

Statue te in conspectu DEI, aut sub pedibûs Christi Crucifixi.

Pete gratiam utiliter instituendi hanc Considerationem.

1. VIde, quis tuus status; quod officium; quomodo & qua intentione

tione utrumq; adieris? ex aliquone affectu naturali? aut ex humanis respectibrs? an verò pure propter DEUM, ex ejus voluntate, tam statum, quàm officium suscepisti?

2. Si quid pravum adverteris, ejura coram DEO. Elice puriorem intentionem, si illa defuit, protestando: te nullo alio fine manere in hoc statu, nisi quòd credas id placitum DEO, acceptumq; esse.

3. Profiteáris te velle contentum vivere tua vocatione, in qua te DEUS collocavit, repudiato omni affectu, & intuitu commodorum propriorum.

4. Certus esto plurimùm conducere ad salutem tuam, si in tuo statu fueris fidelis, hoc est: si te in eo geras, omnia diligenter exequendo, quæ à te exigunt Regulæ, ordinationes, & præscripta Religionis. Scias te de omnibus, severissimam redditurum rationem.

5. Nunquam meliùs explebis obligationem tui Statûs, & officii, quàm si nihil aliud in iis spectes, præter DEI obsequium & tuam perfectionem. Hæcné hucusq; spectasti?

6 Vide qua intentione & libertate animi tuis incumbis negotiis? quomodo eadem unis, intentionibus & Actionibus JESU Christi?

7. Qua ratione versaris, cum quibus vivis? quâ fiduciâ & sinceritate recurris ad Superiores? qua Caritate & reverentiâ agis cum æqualibus & inferioribus? versarisné inter omnes exemplariter?

8. Qua animi moderatione & passionum compressione, in occurrentibus actibus te geris?

9. Didicistiné ex necessitate facere virtutem, gratô animô acceptando & ferendo, quidquid à manu DEI venerit. Sive consonum, sive dissonum tuæ voluntati?

10. Vide

10. Vide an ductum naturæ non ſequaris potius, in rebus agendis, quàm rationem & DEI inſtinctum?

11. Quando agitur de laude tua, commodo &c. Expende utrum & quomodo mentem tuam ab illis abſtrahas? Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini Tuo da gloriam.

12. Examina, qua parte fragilis es? an à nimio ardore, & impetu? an à nimia ignavia?

13. Conſidera, utrùm non appetas te honoratiora, utrùm commodiora tibi arrideant, & non quæ DEO placeant.

14. Quæcunq; tandem, in verbo, affectu vel opere, adverteris te mala commiſiſse, in tuo Statu, deprecare DEUM. Propone emendationem. Pete auxilium.

§. SECUNDUS
DE MEDIIS.
Ad Finem Creationis.

SIquidem media conducentia ad finem hominis, ſunt duplicis ſortis, alia naturalia, alia ſupernaturalia, de utriſq; meditationes proponentur: Univerſa enim opera Domini, ſi debitè conſiderentur, & tractentur, ducunt in cognitionem Creatoris, & ad finem, viàmq; Cæleſtis Sapientiæ deducunt, accinente Propheta. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in Sapientia feciſti.* Pſal: 103. & Eccleſiaſtes teſtatur. *Luſtravi univerſa animô meô, ut ſcirem, & quærerem ſapientiam* Eccl: 9.

MEDITATIO 1ma.
De mediis naturalibus ad finem hominis conducentibus.

PRæl: 1. Statue te coram DEO, omnes creaturas ſubjiciente homini, ut illîs, tanquam mediîs utatur, ad laudem Creatoris, & ſalutem

ſalutem ſuam: dicente Pſalmiſtâ: *Conſtituiſti eum ſuper omnia opera tua, omnia ſubjeciſti, ſub pedibus ejus.* oves, boves, &c. Pſal: 8.

Præl: 2. Pete gratiam à DEO, cognoſcendi & competenter uſurpandi, media naturalia, quæ tibi providit DEUS ad finem tuæ Creationis.

PUNCTUM 1mum.

Omnes Creaturæ factæ ſunt propter hominem.

COgita 1mò: Creavit DEUS ſolem, lunam, ſydera, ut illuminarent hominem, & per ſuum influxum in corpora ſublunaria, producerent frumenta, herbas, olera, aliáq; neceſſaria, ad vitam hominis ſuſtentandam. Creavit Cælum, ut eſſet æterna manſio hominis; fecit terram, ut homini fructus gigneret, & illum portaret, fecit aves, pecora, ut ſeipsis alerent hominem. Illuminat te Cælum ô homo! ut declines à tenebris peccatorum. Solatur te DEUS tanta varietate, & pulchritudine creaturarum, ut omnem fæditatem peccati effugias, dedit tibi totam univerſitatem creaturarum, ut tibi deſerviret, & tu ſervires DEO, & ſalutem obtineres. Vide, quis mundi Dominus, tot & tanta bona ſervo ſuo confert, ſicut tibi DEUS in creaturis providit. Emitné apud te hîs omnibûs tuam fidelitatem & obſequia? Reflecte te, utrùm ipſis creaturis non ſis abuſus ad offenſam DEI? utrùm cum ejus liberalitate, & ineffabili bonitate non certâſti tuâ malitiâ. Ah Domine mi confiteor ingratitudinem meam, agnoſco deteſtabilem in tuis obſequiis teporem, & negligentiam; ſed dixi, nunc cæpi, deſidero quam fideliſsimè Tibi ſervire, omnibûs diebûs vitæ meæ.

Cogita 2dò: Servit tibi terra, fructus in tuos uſus producendo, ut & tu fructifices DEO, ſicut Chriſtus dicit ad Apoſtolos: Elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis. Elegit te DE-

US ex tot possibilibus creaturis, nunquam producendis, ut de virtute in virtutem proficeres, & fructum afferres. Vide quem illi hucusq; attulisti?

Cogita 3tiò: omnia creata serviunt tibi, ut & tua omnia serviant DEO. Servitné illi tua memoria? tuus intellectus, tui oculi, manus &c. Erubesce, Propone.

PUNCTUM 2dum.

Omnes Creaturæ factæ sunt ad hoc, ut juvent hominem ad laudem DEI, & suam salutem obtinendam.

Cogita: quomodo creaturæ juvant hominem ad DEI laudem & salutem consequendam? 1mò: multæ creaturæ juvant, conservando sanitatem & vires hominis, ad laborandum pro gloria DEI, & salute sua. Ad huncné finem usus es sanitate & viribus tuis? 2dò: quia repræsentant homini perfectiones divinas, quas sibi habent communicatas, & toto suo esse prædicant Deum: *Ipse fecit nos*, ut in iis cognoscat homo Deum, & laudet ac amet ejus perfectiones. Sic forma & pulchritudo alicujus creaturæ, ostendit homini & repræsentat pulchritudinem Creatoris, & admirabilem omnipotentiam illius, quæ ex limo, & luto, tam pulchram imaginem formavit. Sol ostendit claritatem Dei. &c. 3tiò: juvant hominem & hôc modô, quia dant illi occasionem, ut homo ab illis liberè abstineat, & suum appetitum mortificet, propter amorem Dei. 4tò: quia docent hominem, quantùm se impendere debeat obsequiis Dei. Sicut enim plures creaturæ serviunt homini, cum sui destructione, ità & homo debet servire Deo, usq; ad sui exinanitionem, contemptum, consumptionem, ac mortem. Vide, utrùm juvabant te creaturæ, talibûs modîs, ad laudem Dei, & salutem tuam? an tu non sis abusus eis ad offensam Dei? & utrùm te in pericula,

&

& ruinam, per illas non dederis? Examina, quomodo utebaris oculis, manibus, lingua &c. Defle omnes abuſus, deprecare Deum, erubeſce tuam ingratitudinem.

PUNCTUM 3tium.

Qualis debeat eſſe uſus Creaturarum?

COgita 1mò: In tantum conceſsit Deus uti creaturis, & illis nonnisì creaturis, in quantum, & quæ juvant hominem, ad finem ſuum; quæ autem creaturæ impediunt ab obtinendo fine, debet ab illarum uſu âbſtinere homo. Proinde debet quisq; indifferens eſſe, ad creaturas ſuo uſui ſubjectas, ut illas ſolùm eligat, & deſideret, quas viderit ſibi conducturas ad finem, &c. cibo, potu, tantùm uti quisq; debet ad hoc, ut conſervet vitam & ſanitatem, ad laudem Dei, cui ſanitati omnis exceſſus officit. Similiter ità debet uti amicitiâ hominum, prout & quamdiu hæc juvat ad laudem Dei, & ſalutem propriam; ſi autem amicitia hominis impedit, ab amore Dei, & periculum facit ruinæ; fugienda eſt juxta Chriſti monitum: *Si oculus tuus ſcandaliſat te erue eum.* Sicut S. Hieronymus in hunc locum diſſerit. *Si ità eſt quis tibi conjunctus, ùt manus, pes, oculus, & eſt utilis, atq; ſollicitus, atq; acutus ad perſpiciendum; ſcandalum autem tibi facit, & propter diſſonantiam morum, te pertrahit in gehennam; meliùs eſt, ut & propinquitate ejus, & emolumentîs carnalibûs careas, ne, dum vis lucrifacere cognatos & neceſſarios, cauſam habeas ruinarum.* Reflecte te, quo affectu feraris in creaturas? an hôc unicè motivô & titulo illas ames, iisq; utaris, quòd te juvent ad finem tuum conſequendum. Erubeſce, defle defectus, propone.

Cogita 2dò: Qui utitur creatura propter illius ipſius dulcedinem, pulchritudinem &c. vel etiam propter ſuam ſenſualitatem, voluptatem; ille non utitur creaturâ, tanquam mediô ad laudem

laudem Dei, & suam salutem. Examina, qualis hucusq; tuus fuit usus creaturarum? nonnè illi magìs, quàm Deo adhærebas? abstrahe cor tuum ab omnibus creaturis, transfer illud ad Deum. Pete gratiam Sanctè utendi creaturis.

Colloquium ex S. Augustino.

DOmine ut totus servirem Tibi, omnia quæcunq; fecisti, in meum servitium fecisti, omnia sub pedibus hominis subjecisti, ut totus homo subjiceretur Tibi, & ut totus Tuus esset. Super omnia opera Tua, dominatus est homo. Quidnî & ego me subjiciam, & toto me, laudem, amem, honorem te Deum meum, & Dominum meum? Dic cum Ecclesia: Da Domine gratiam & auxilium, ut sic transeamus per hæc temporalia, né æterna perdamus.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

BEnedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate in sæcula. Dan: 3.

Scitote quoniam Dominus, ipse est Deus: ipse fecit nos & non ipsi nos Psal: 99.

Sit gloria Domini in sæcula, lætetur Dominus, in operibus suis. Psal: 106.

Exaltare super Cælos Deus, & super omnem terram gloria tuâ. Psal: 107.

MEDITATIO 2da.

De mediis supernaturalibus ad obtinendum finem.

PRæl: 1. Constitue te coram Deo, tanquam fonte omnium bonorum in te defluentium.

Præl: 2: Pete gratiam cognoscendi, & competenter usurpandi media supernaturalia ad finem tuæ Creationis.

PUN-

PUNCTUM 1mum.

Amor Patris æterni, efficacissimum medium salutis providit.

COgita seriò, quòd Deus ita dilexit mundum, consequenter & te, ut tibi daret Filium suum Unigenitum, in Redemptorem ac Mediatorem, in Magistrum omnis veritatis, in Ducem peregrinationis, in Pastorem ac Patrem. Sinè Redemptore, semper in vinculis peccatorum, sub tyrannide dæmonis hæsisses, nunquam liberandus, nisi Redemptione & meritîs suîs subvenisset Filius Dei. Sine Mediatore, nunquam vixisses reconciliatus Deo, nunquam ad bona supernaturalia, & gratias ad salutem necessarias pervenisses ô homo, nisi Mediator Dei & hominum Christus Dominus præparâsset tibi accessum ad Deum. In tenebris ignorantiæ jacuisses cæcus, nisi te illuminâsset cælesti veritate Magister Christus. Aberrâsses à virtute, à Deo & Cælo æternùm; nisi tuæ peregrinationis Dux fuisset Filius Dei. Inter lupos infernales periîsses errabunda ovicula, nisi te Pastor bonus quæsiîsset, & invenisset. Tanquam filius prodigus in Regione longinqua, inter siliquas porcorum computruisses: nisi te benevolentissimus Pater suscepisset expansis in Cruce manibus. Vide, quomodo gratus es Deo pro tanto beneficio? adhucné tu vermiculus, denegabis te Deo, & illi servire recusabis? cùm ille dilectum Filium suum, in tua obtulerit obsequia. Reflecte te, quid sub tanto Magistro didicisti? illiusné doctrinam observas an mundi? illumné Ducem sequeris? illiné Pastori adhæres? illumné ut Patrem amas? confusio, dolor, deprecatio, propositum.

PUNCTUM 2dum.

Filius Dei Unigenitus, medium salutis.

COgita: quomodo Filius Dei tibi serviat? quomodo tuam sa-

lutem curavit? In hunc finem descendit de cælo, incarnatus, natus propter te, laboravit à juventute, sustinuit opprobria, illusiones, contemptus. In hunc finem expendit famam, honorem, vitam, sanguinem. In hunc finem tot egit, ac passus est. Quid tu hucusq; pro ejus gloria egisti? aut passus es? quid pro salute propria fecisti boni? aut superâsti mali. Tuné appretiabis te magis Filiô Dei, tuné delicatiùs vivere, pluris tuum honorem, famam, vitam æstimare audebis, quàm ille æstimaverit? O confusio! ô dolor! Filius Dei cùm esset dives, propter te factus est pauper, & non habens ubi caput reclinaret; tu in domo paupertatis abundantiam omnium rerum desideras? acerbè defectum in victu, vestitu, mansione, & aliis sustines? Filius Dei, deserens adorationes Angelorum, humiliavit semetipsum; formam servi accipiens; tu cinis & pulvis humiliari non vis? Filius Dei, Dominus omnium, factus obediens usq; ad mortem; tu vilissimus homuncio obedire detrectas? Examina teipsum, quomodo usus es doctrinâ Christi, & ejus meritis ac exemplis, quas illius virtutes imitaris? Admirare Dei Bonitatem, quòd tibi efficacissimum medium providerit ad salutem. Deplora tuam ingratitudinem. Propone Christi virtutes imitari. Pete, ut te trahat efficacibûs auxiliis in odorem exemplorum suorum.

PUNCTUM 3tium.
Medium salutis Beatissima Virgo.

COgita: dedit tibi Deus pro speciali medio salutis Beatissimam Virginem Mariam, quam voluit tuam esse mediatricem & advocatam; non aliâ viâ dona sua, & æternam vitam tibi deferendam proposuit, nisi per manus Beatissimæ, teste S. Bernardo: *Omnia nos voluit habere per Mariam.* Proinde etiam statim à teneris, cùm esses parvulus, injecit tibi affectum ad hanc Matrem,

fovit

fovit eum in te. Vide, quo affectu tu eam colis? quâ fiduciâ ad eam recurris? quo conatu illius honorem tueris, & promoves? qua devotione ejus maternam pietatem mereris? &c. Advola ad plantas Beatissimæ, deprecare eam, statue aliquam constantem, ad illam in singulos dies devotionem.

PUNCTUM 4tum.
Medium salutis Angelus Custos.

COgita: dedit tibi Deus Angelum suum ad tui Custodiam, & directionem, ut securiùs tuam salutem obtineres. Hinc Exod: 23. monet te dicens. *Ecce ego mitto Angelum meum ante te, qui præcedat te, & custodiat in via, observa eum, & audi vocem ejus.* In quovisné diversorio, in quovisné angulo Angeli tui reverentiam habes? observasné eum? audisné illius instinctus? æstimasné tuam sortem, quòd sub tutela, & custodia tam digni & perfecti Spiritûs maneas? Erubesce, deprecare Deum, & tuum Angelum. Propone ejus directionem sequi.

COLLOQUIUM.

ADora Divinam Bonitatem, tam efficacia media tibi, ad obtinendam salutem, providentem. Erubesce tuam negligentiam in eorum usu. Pete gratiam illis fructuosè utendi.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

QUis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia. Psal: 76.

Vivat Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Psal: 17.

O Sancti Dei: *magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.* Psal: 33.

MEDI-

MEDITATIO 3tia.

De reliquis mediis supernaturalibus.

Præludia eadem superioris Meditationis.

PUNCTUM 1mum.

Medium ad salutem, status vitæ Religiosæ.

COgita 1mò: Eduxit te Deus de mundo immundo, abstraxit ab omnibus ejus illecebris, amovit â tot periculis, in quibus alii pereunt. Adora Dei Providentiam circa te, quòd te non reliquit, in medio nationis pravæ, inter tot ruinarum præcipitia, sed te elegit sibi in servum, imò in familiarem, ac suum domesticum. Gratias illi age, contemne mundum.

Cogita 2dò: Constituit te Deus in Religione tam Sancta, in medio heroûm Christi, inter tot viros probos, Sapientes, inter tot occasiones meritorum, & exercendarum virtutum. In terra, multorum sangvine irrigata. Vide né profanetur tuis moribus irreligiosis. Et cogita tibi id dici, quod Moysi: *Locus, in quo stas, terra Sancta est.* Exod: 3.

Cogita 3tiò: Providit tibi Deus in hac Societate, tot media salutis & perfectionis obtinendæ. Ad hoc enim quotidiana meditatio, examina, lectio libri Spiritualis, ad hoc Exercitia Spiritualia, item Colloquia & doctrinæ salutares, aliaq; diurna opera tibi servire, ad hoc Regulæ te juvare deberent. Reflecte te, quomodo hæc omnia te juvant? quâ diligentiâ ac applicatione illa peragis? quomodo Regulas observas? quem fructum ex his omnibus hucusq; percepisti? Erubesce, deplora negligentiam tuam. Pete gratiam sanctè & dignè vocatione tua vivendi.

PUNCTUM 2dum.

Usus Sacramentorum, medium salutis.

COgita 1mò: maximum & efficacissimum medium salutis & perfe-

perfectionis esse, frequentem usum Sacramenti pænitentiæ, & Eucharistiæ, modò accurata præparatio hunc usum præcedat: eò enim majores fructus quisq; percipiet, quò cum majori devotione ad ea Sacramenta accesserit. Nam ex accurato usu pænitentiæ oritur puritas conscientiæ, majus odium & horror peccati, emendatio vitæ, evitatio occasionum peccati, abstractio cordis & affectuum, à rebus terrenis, facilitas contritionis, cognitio sui, & suæ labilitatis, consequenter & humiliatio sui. Vide, an hos fructus percipias ex Sacramento pænitentiæ? & quare non percipis? Præmittisné seriam discussionem conscientiæ? Adhibesné congruos huic Sacramento actus? &c. Considera item fructus Sacramenti Eucharistiæ, quorum 1mus est, unio Christi cum anima suscipientis, juxta illud. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sangvinem, in me manet & ego in eo.* 2*dus*, quia etiam corpus hominis accipit semen suæ resurrectionis futuræ, teste Christo. *Qui manducat meam carnem, ego resuscitabo eum in novissimo die.* 3tius fructus est, conservatio vitæ Spiritualis fundatæ in fide, spe, & charitate Dei, aliisq; virtutibus. 4tus est, fortitudo, & habilitas virium, ad resistendum tentationibus, juxta Psal: 22. *Parâsti mensam in conspectu meo, adversus eos qui tribulant me.* 5tus est, medicina præservativa à peccatis. 6tus, minuit hoc Sacramentum concupiscentias carnis, domat rebelles passiones &c. Vide, utrùm merearis hos omnes fructus percipere? Reflecte te, qua præparatione accedis ad hoc Sacramentum? quos actus in ejus sumptione adhibes? quam gratiarum actionem reddis Deo, post illius usum? quomodo apud te præsentem tractas Christum? dispone omnia, ut fructuosiùs in posterum communices.

PUNCTUM 3tium.

Cur rari sunt, qui percipiant hos fructus ex usu Sacramentorum?

COgita 1mò: Cùm Sacramentum pænitentiæ & Eucharistiæ

ſint remedia contra omnes infirmitates, ac morbos animæ, ſint fontes omnium Spiritualium bonorum, ac gratiarum: continent enim merita Chriſti, quæ, ſi ritè applicentur, plurima bona operantur in anima. Euchariſtiæ verò Sacramentum continet ipſum datorem omnium cæleſtium donorum; Cur tamen rari ſunt, qui per uſum Sacramentorum meliorentur, & à ſuis morbis ſpiritualibus curentur? 1mam hujus rationem expreſsit S: Paulus 1. Cor: 11: quia ſcilicet plurimi ad hæc Sacramenta accedunt, ſinè præparatione & debita conſcientiæ diſcuſsione, ac ſui dijudicatione, congruisq; conſiderationibus. *Ideo*, inquit ille. *Inter vos multi infirmi & imbecilles & dormiunt multi, quòd non dijudicent*, quis eſt ille quem recipiunt? quid in tantæ Majeſtatis ſuſceptione illis agendum eſſet? qualiter præparandus animus? expurganda conſcientia? quibûs virtutibûs, ornanda domus interior? quæ conſiderationes? qui virtutum actus præmittendi? 2da ratio, quia plerumq; homines accedunt ad hæc Sacramenta, pleni affectibûs inordinatîs, & amore tum ſui, tum creaturarum, proinde impediunt communicationem donorum cæleſtium. Quæ enim conjunctio lucis cum tenebris? quomodo vas plenum acetô & felle vanitatum terrenarum, recipiet balſamum divinæ conſolationis, & dulcedinem benedictionis? Effunde priùs fel cupiditatum terrenarum, ut ſis capax cæleſtium deſideriorum; expelle cogitationes vanas, ut mens tua cæleſti lumine reſulgeat. 3tia ratio eſt, quia aut negligens, aut nulla apud nos cura eſt, intentionis rectæ, in omnibus vitæ noſtræ actionibus. Ferè omnia opera noſtra, vel tantùm ex inclinatione naturæ, aut ex motu paſsionis, aliarumq; affectionum noſtrarum procedunt, & in illis non quæ ſunt Jesu Chriſti, gloriæq; Divinæ, ſed propria commoda inquirimus, ad tranſitoriam voluptatem, ad vanam gloriam, aliosq; vanos reſpectus, illa ordinamus. Quomodo itaq; taliter vi-

ventes Spiritus Christi vivificabit? quomodo eorum opera & actiones, ad primam morum Regulam, Dei voluntatem conformabit? quomodo gloriam Dei, pro meta & termino præfiget? examinemus conscientiam nostram, utrùm non impediamus Chistum, quominus operetur in nobis eos fructus? Petamus ut amoveat à nobis omnia impedimenta, & dignos nos faciat fructibûs Sacramentorum.

IN COLLOQUIO.

GRatias agamus Providentiæ Divinæ, pro omnibus mediis, nobis, ad salutem & pefectionem consequendam, datis. Deploremus defectus anteactæ vitæ. Rogemus, ut illîs omnibûs quàm accuratissimè in posterum utamur.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis in Civitate Dei nostri, in monte Sancto ejus. Psal: 47.

Benedictus Dominus Deus, qui facit mirabilia magna solus Psal: 707.

Tu Dominus altissimus, super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos. Psal: 96.

§ TERTIUS.

De Fine Vocationis.

SIcut varii sunt status & conditiones hominum, ità varii sunt fines, cuiq; statui consentanei. Nobis hìc finis nostræ duntaxat Religionis cognoscendus est: & media principaliora penetranda.

MEDITATIO 1ma.

De fine Religiosi Societatis JESU.

PRæl: 1: Compositio loci, ad pedes S: Patris Ignatii, tenentis librum constitutionum præscribentium finem Societati.

Præl: 2: Petitio gratiæ cognoſcendi & ſemper tendendi ad finem Societatis.

PUNCTUM 1mum.

De Fine Societatis.

COnſidera & expende ſingula verba S: Patris. *Finis hujus Societatis eſt, non ſolùm ſaluti, & perfectioni propriarum animarum, cum divina gratia, vacare, ſed cum eadem, impensè, in ſalutem, & perfectionem proximorum incumbere.* Ubi Cogita 1mò: finem hujus Societatis, id eſt horum, qui dederunt nomen Societati, in ejus gremio vivunt, non ſolùm illorum primorum Patrum, & Anteceſſorum noſtrorum, quorum tot præclara geſta legimus, & audimus, ſed etiam omnium iſtorum, qui etiam eandem Religionem nunc profitentur, adeoq; tuus Religioſe finis eſt, non otiari, & confabulari, non commodis inhiare, non plauſus & famam magni nominis captare, non ſenſualitati ſervire, non deliciis frui & honores appetere, ſed pati, & laborare pro gloria Dei, ſed ſalutem tuam & perfectionem, atq; proximorum, omni conatu procurare. *Habitus & tonſura modicùm conferunt, ſed mutatio morum & integra mortificatio paſſionum, verum faciunt Religioſum,* dicit Thomas à kempis.

Cogita 2dò: Ad hunc finem quilibet Societatis Religioſus, adeoq; & tu inceſſanter tendere debes, ad eum dirigere omnes actiones, paſsiones, intentiones, conatus, labores, vires, officia, vitam tuam, ut & ſalutem tuam conſequaris, & alii quàm plurimi, per tuam operam, inſtructiones, exempla, trahantur ad eandem obtinendam.

Cogita 3tiò: Quòd debeas iſti perfectioni vacare; ideſt remotîs aliîs omnibûs curîs, ad eam non conducentibûs, unicè attendere, & quidem ſine omni anxietate; & perturbatione, ſed ita ſvaviter, prout ſvavis eſt vacatio à labore. Vide qua hæc

omnia

omnia exequaris diligentia? defle defectus. Per proposita corrige. Pete auxilium gratiæ Dei.

PUNCTUM 2dum.

Quotuplex finis Societatis?

COnsidera quadripartitum finem esse Religiosi Societatis. 1ma illius pars, ut salutem suam curet; in quo convenit cum omni homine ad id creato, ut salutem suam procuret, per observationem præceptorum Dei. 2da pars est, ut attendat suæ perfectioni, quæ consistit in immunitate à peccatis, extirpatione habituum malorum, in mortificatione passionum, in cumulandis meritis, augendáq; continuò gratia sanctificante, per varios virtutum actus. Et in hac parte Religiosus Societatis convenit cum aliis omnibus Religiosis; quilibet enim Religiosus, ex vi sui statûs, obligatur sub peccato mortali tendere ad perfectionem. 3tia pars finis Societatis, ut curet salutem proximorum; in quo puncto aliquomodo convenit cum aliis, curam animarum habentibus, prout sunt beneficiarii. 4ta tandem pars, ut non solùm in salutem, sed & etiam in perfectionem proximorum incumbat; hoc est; ut huic muneri impendat suas vires, valetudinem, famam, honorem, commoditates, labores, conatus & vitam suam; hæc est enim specifica differentia Religiosi Societatis, ab omni alio cujusvis status homine. Vide an? & quomodo tendas ad hunc finem? & quomodo deinceps tendere debeas? age gratias Deo, quòd te ad tam sublimem finem vocaverit. Æstima dignitatem ejus. Confundere de tuis defectibus. Ordina totam vitam tuam, & omnes actiones ad eum consequendum. Pete à Deo gratias.

PUNCTUM 3tium.

Quæ media ad finem Societatis?

COnsidera efficacissima media à S: Patre præscripta, ad ob-

tinendum Societatis finem. 1mum medium: est biennium Novitiatûs, ubi quò sanctiora quis posuerit fundamenta, eò aptior ad prædictum finem evadet. Vide, quomodo tu Novitiatum peragis? quam applicationem & diligentiam, in exequendis muniis adhibes? defle defectus, & proponenda propone. 2dum medium, sunt ista ipsa Exercitia Spiritualia. Expende quantos fructus hæc fecerunt in aliis. Cur non similes in te? 3tium medium, sunt Regulæ & ordinationes Religionis. Quomodo has observas? 4tum medium, sunt quotidianæ meditationes, examina, lectiones libri spiritualis, exhortationes, usus Sacramentorum. Examina conscientiam, quàm exactè hæc omnia exequaris? Erubesce ac deplora defectus. Propone majorem diligentiam. Expende saltem aliquas Regulas ex summario, quantùm te juvarent ad hunc finem, si eas sedulò observares? & 1mò Regulam summarii undecimam, quæ præscribit: omnino & non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat & amplectitur. Abhorresné tu ab iis? Vide: mundus, seu mundani homines amant commoditates, tu amas. mundani fugiunt adversa, tu fugis. mundani appetunt laudari, honorari, æstimari, tu appetis. Quæ ergo distinctio tui à mundanis? Expende item Regulam illam, quæ jubet, ut quisvis majorem sui abnegationem, & continuam in rebus omnibus quærat mortificationem. Et Regulam 16tam summarii, quâ suadetur, ut nihil perfectionis prætermittatur, quod obtineri posit: ac tandem Regulam 36tam summarii, quâ ordinatur, ut ità sinamus nos ferri, ac regi à Divina Providentia per Superiores, tanquam cadaver essemus, ac baculus senis. Vide, quomodo has, ac alias Regulas observas? Quærisné in omnibus abnegationem ac mortificationem? non prætermittisné perfectionem, quam consequi posis? Confundere, deprecare Deum, & S: Patrem, quòd tam efficacibûs mediis tibi provisis uti negligas. Propone

secundùm

secundùm præscripta, S: Patris, tuã vitã ordinare. Pete ad id gratiã.

IN COLLOQUIO.

ACcede ad Sanctissimam Trinitatem, & pete imprimis à Patre Æterno, ut tibi det Spiritum bonum petenti, Spiritum Societatis, ut sicut commendavit S: Patrem Filio suo, ità & te recomẽdet eidem, licèt hujus S: Patris Filiorum indignissimum. Pete item à Filio Unigenito, ut tibi mittat Spiritum Sanctum à suo Patre promissum, & sit tibi propitius, sicut se propitium promisit S: Patri. Invoca tandem Spiritum Sanctum. Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitùs, lucis tuæ radium.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

ELegi abjectus esse in domo Dei mei, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ps: 13.

Fidelis Deus, per quem vocati estis, in Societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. 1. Cor: 1.

Cum Sancto Sanctus eris, & cum Viro innocente innocens eris, & cum Electo electus eris. Psal: 17.

Trahe me post te, ut curram in odorem ungventorum tuorum.

§. QUARTUS
DE MEDIIS,
Ad finem Societatis conducentibus.

MUlta sunt media in Societate, suo fini servientia, ex quibus, duo principaliora sedula consideratione Expendemus.

1mum medium est amor vocationis.

2dum: accurata Regularum observatio. Illud enim dirigi ad nos per S: Patrem arbitremur, quod Deut: 4: dictum esse ad populum Dei legimus. *Scitis quòd docuerim vos præcepta atq; justitias; sicut mandavit mihi Dominus Deus meus, sic facietis ea, & observabitis, & implebitis opere, hæc est enim vestra sapientia.*

1mum MEDIUM ad FINEM SOCIETATIS
Amor Vocationis Religiosæ.

MEDITATIO
De Amore Vocationis Religiosæ.

PRæl: 1: Statue te coram Deo, in medio Patrum ac Fratrum tuorum, laudantium Deum, eiq; ferventer servientium.

Præl: 2: Pete gratiam concipiendæ æstimationis, & amoris vocationis tuæ.

PUNCTUM 1mum.
Fundamentum amandæ Vocationis Religiosæ.

COgita: 1mum fundamentum amoris Vocationis Religiosæ stare in eo, quia vocatio Religiosa est donum Dei præstantissimum, & gratia gratiarum. Si ergo, Religiose, debes amare alias gratias & dona Dei, multò magis donum præstantissimum præ aliis donis. Quòd verò vocatio Religiosa sit donum præstantissimum, deducitur ex his rationibus. 1mò quia vocatio Religiosa est gratia secundi baptismi, ut cum aliis SS: Patribus docet S: Thomas, asserens Religiosum, si post emissionem trium votorum moreretur, statim rectà ad cælum evolaturum, nonsecus atq; qui susceptô baptismô statim moreretur. 2dò: quia gratia vocationis Religiosæ, est gratia cujusdam Martyrii, quamvis lentioris, tamen diuturnitate molestioris, juxta S: Bernardum. 3tiò: quia est infallibile privilegium vitæ æternæ. Veritas enim æterna nec falli nec fallere potest, quæ dicit: *Qui reliquerit domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* 4tò: quia inire statum Religiosum, est summa vitæ hujus beatitudo, & salvatio à tot mundi periculis, prævia salvationi æternæ. Vide, utrum ex his rationibus non sit justum, ut ames vocationem tuam. Contemne itaq;

omnia

omnia quæ te abstrahere conantur, à vocatione Religiosa. Gratias Deo age pro beneficio vocationis. Pete stabilitatem & constantiam in ea.

Cogita fundamentum 2dum amoris vocationis ab exemplis Sanctorum, qui summopere æstimârunt vocationem Religiosam. Sic S. Stanislaus, tot in commoda subîit, tot emensus itinera, tot superavit difficultates, ut vocationem suam consequeretur. S. Aloisius etiam per in ferni cruciatus transire eligebat, ut vel ad breve tempus in Societate viveret. P. Joannes Nunnez, cum esset creatus Patriarcha Æthiopiæ, postulabat exonerari hac dignitate, & ut in culina cujuscunq; Collegii, perpetuò ageret coquum, expetebat, addens: *Securior ibi serviam Deo & Societati.* Ità isti, ità multi alii æstimârunt vocationem suam; & tu quomodo illam hucusq; æstimâsti? quomodo æstimare debeas? nonne satius est, ut omnia perdas, quàm vel minimum periculum vocationis subeas.

PUNCTUM 2dum.

Modus amoris vocationis.

COgita 1mò: ad verum vocationis Religiosæ amorem, requiri 1mò: ut omnia alia conjuncta cum vocatione æstimentur & amentur, tales sunt omnes personæ Religiosæ, quibus, debitus honor, & amor deferri debet; talia item sunt omnia Religionis officia, & functiones, etiam quæ videntur vilissimæ, tales insuper Regulæ, ordinationes, & omnia præscripta à Religione, quamvis appareant exigua. 2dò, requiritur, ut Religiosus paratus sit ad omnia ardua, & molesta, pro vocatione & cum vocatione toleranda. 3tiò, totum se Religioni tradere debet, regendum, quô ad omnes sui dispositiones in totam vitam. 4tò, ex amore vocationis, exosculetur vestem Religiosam, quoties induitur, vel exuitur. 5tò, constantem aliquam devotionem, instituat, pro impetranda perseverantia in vocatione Religiosa, & in Litaniis

Omnium Sanctorom, speciali affectu & devotione, proferat illa verba. *Ut nos in tuo Sancto servitio confortare, & conservare digneris.* Excita te ad hos modos, usurpandos variis motivis. Propone, illis accurratè uti.

PUNCTUM 3tium.

Infelicitas deserentium Vocationem.

COgita infelicitatem deserentiū vocationem oriri, 1mò ex eo, quia constituuntur, in periculosissimo statu, amittendæ salutis. Fiunt inepti ad Regnum Dei, juxta illud effatum Christi: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei.* 2dò: quia deficientes à vocatione replentur magnîs peccatîs teste D: Paulo ad Rom: 1: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; tradidit illos Deus, in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate malitiâ &c.* 3tiò quia subjugantur à dæmone, ùt S: Bernardus de modo bene vivendi, Cap: 20. ait: *Qui congregationem Sanctam relinqvunt, & ad secularem vitam descendunt, à Societate Dei elongantur, atq; dominio diaboli subjugantur.* 4tò: quia desertores continuo remorsu conscientiæ anguntur, quòd vocationem specialissimum salutis medium, deseruerint, sæpeq; illud Dei, eorum obversabitur menti: *Vocavi & renuistis, ridebo in interitu vestro.* 5tò: quia Deus aufert ab eis illam doctrinam, illa talenta, quibus in Religione floruissent, spoliat illos hisce Deus, quia ista ob Religionem dederat: utinam non spoliet vitâ æternâ. 6tò: quia desertores, ab omnibus fere impetuntur, irrisionibûs, contumeliosîs compellationibus, epithetîs infamibûs. 7mò: tandem, quia tales amarissimam & sæpe diminutam ob desertionem vocationis vitam ducunt, mortem terribilem, æternitatem incertam incurrunt. Apprehendisné istam infelicitatem desertorum vocationis? Potestné major cogitari infelicitas? quàm reddi ineptum ad Regnum

Dei,

Dei, ex malitiâ & voluntate propriâ? quàm peccatorum fieri sentinam, diaboli mancipium, rodentis conscientiæ lanienam, omnium ludibrium &c. Exhorresce tam infelicem statum, & né te ad illum deducat, tepiditas tua: cura fervorem Spiritûs. Æstima vocationem tuam, pete in ea perseverantiam. Ne projicias me à facie tua Domine, & Spiritum Sanctum né auferas à me. Redde mihi lætitiam salutarîs, & Spiritu principali confirma me.

COLLOQUIUM.

CUm Christo in Cruce moriente, neq; ad vota Pharisæorum de illa descendente, rogando Christum per ejus Clavos, & in Cruce mortem, ùt te in Cruce Religionis conservare & emori faciat. Pete id ipsum à Beatissima sub Cruce stante, né te à sinu suo materno, avelli patiatur, in quo & vivas & ultimùm exspires. *Pater: Ave &c. Anima Christi.*

ACTUS EJACULATORII.

UNam petii à Domino, hanc requiram, ùt inhabitem in Domo Domini omnibûs diebus vitæ meæ. *Psal: 26.*

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis, replebimur in bonis domûs tuæ. *Psal: 64.*

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. *Psal: 83.*

Beati, qui habitant, in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

Melior est dies una, in atriis tuis super millia. *Psal: 83.*
Unusquisq; in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 1.*Cor:6.*

2dum MEDIUM ad FINEM SOCIETATIS.

Æstimatio & observatio Regularum.

IDem Religioso viatori sperandum est ex observatione Regularum sui Ordinis, quod regius Vates prænuntiavit de lege

Domini, ubi ait: *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Psal: 18.

MEDITATIO

De observatione accurata Regularum.

PRæl: 1. Collocemus nos coram S: Patre porrigente nobis librum Constitutionum, ejùsq; observationem commendante.
Præl: 2. Petamus gratiam sanctè juxta Institutum vivendi.

PUNCTUM 1mum.

Æstimandæ sunt & observandæ Regulæ.

1mò: Ex eo, quia sunt efficacissima media nobis à Deo oblata, ad consequendam perfectionem vitæ; non aliâ enim viâ Patres nostri pervenerunt, ad magnam Sanctitatem, nisi per constantem regularum observationem. Unde Gilbertus Midletonus Societatis nostræ, regulas dicebat, medullam, compendium, & florem perfectionis. Faciunt enim id duplici modô regulæ, ut nobis præstent medium efficax perfectionis. 1mò: impedimenta removendo, 2dò: auxilia suppeditando, ad obtinendam Sanctitatem, quod ipsum duplici similitudine declaravit S: Borgias, dum in Collegio Romano Regulas promulgaret. Unam quidem similitudinem sumpsit ab homine captivo, & inter hostium catervas detento, ab amicorum tamen cohorte propugnato, liberato. Quid putamus? quanto amore & æstimatione, debitàq; observatione, illum suum liberatorem, prosequeretur captivus, liberatus. Id totum Regulis nostris debemus, nos enim semper tanquàm captivi essemus, inter tot hostium præsertim domesticorum oppugnationes. Caro equidem concupiscit adversùs Spiritum, & Spiritus adversùs carnem. Tot item passiones, tanquam belluæ indomitæ continuò tumultuantur, & nostræ saluti insidiantur. Sensus ipsi conjurati sunt hostes, in nostram perniciem. Et Regulæ si illas observaverimus, liberant nos ab omnibus hisce oppugnationibus. Quidni

illas æstimemus? quidni illas observemus? 2dam similitudinem proposuit dictus S: Pater, ab aliqua Reliquia, vel Agno Dei, si cui offeretur à summo Pontifice, ad propulsanda incendia, tempestates, tentationes servitura; nonné hæc quisq; magnifaceret. Multò itaq; pluris Regulas æstimare debemus, quæ nos defendunt ab incendio cupiditatum, à perturbationibus, ac variis tentationibus, ùt sedulò consideranti, constare potest. Concipiamus itaq; æstimationem Regularum nostrarum. Petamus à Deo Spiritum exactæ observantiæ Regularum.

PUNCTUM 2dum.

Æstimandæ sunt & observandæ Regulæ.

2dò: Ex eo, quia hæc est voluntas Dei, ut in earum observatione vivamus, & per earum observationem perfecti efficiamur. Docet enim S: Thomas Angelicus, quòd quælibet Regula Religiosa, sit radius procedens, à lumine sapientiæ Divinæ, sit rivulus, emanans à fonte rectissimæ Voluntatis Divinæ. Ex quo facile quisq; inferre potest quanti æstimandæ sint Regulæ. Hinc etiam dum S: Pater noster Ignatius scriberet Regulas, sæpius Spiritus Sanctus, in flamma ignis apparens visebatur. Et postea Paulus III. confirmans easdem Regulas dixit. *Spiritus Dei hic est.* Proinde qui contemnit Regulas Societatis, contemnit Spiritum Sanctum, & qui non vivit secundùm has Regulas, non est in eo Spiritus Dei. Consequenter non vivit Deo, qui enim non habet Spiritum Christi, hic non est ejus. E contra verò qui juxta Regulas suam vitam ordinant, Spiritu Dei aguntur & sunt Filii Dei, juxta illud ad Rom: 8: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Videamus itaq; quomodo hucusq; Regulas observavimus? & quo studio eas in posterum observare debeamus.

PUNCTUM 3tium.

Æstimandæ sunt & observandæ Regulæ.

3tiò: Ex eo, quia in observatione Regularum, tota consistit

substantia, & integritas vitæ Religiosæ: Quælibet enim Religio, est quoddam corpus, & Spiritus illud vivificans, sunt Regulæ; quamdiu itaq; est efficax & accurata observatio Regularum, tamdiu vivit Religio. Consequenter trangressores Regularum exanimant, & omni vigore destituunt Religionem. Juxta Sacram scripturam & Sanctos Patres, Religio est tanquam hortus conclusus, juxta illud *Cant: 4. Hortus conclusus, Soror mea sponsa.* Sicut autem nullus hortus valet quidquam sine sepimento, ita nec Religio sine Regulis. Qui hortus non est conclusus, patet direptioni latronum, conculcationi brutorum, nihilq; fructiferi afferre potest; pari modo & Religio absq; Regulis, ultimæ ruinæ & devastationi relinquitur. Hinc Deus Isaiæ 5. minatur Isràëli ob peccatum Christicidii: *Ostendam, quid faciam vineæ meæ, auferam sepem ejus, & erit in direptionem, destruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.* Hæc desolatio timenda est, in Religiosis vineis, cum Regulæ, tanquam, sepimentum subruuntur, cum silentium sæpiùs violatur &c. Proinde P: Fabricius Bamsus Visitator hujus Provinciæ, in Exhortatione ad nostros dixit: Fratres mei servemus Regulas, né Deus in locum nostræ Religionis, excitet aliàm, sicut fecit cum aliis Religionibus, jam pridem extinctis. Et S: Bernardus: *Rogo vos Fratres state in Domino, soliciti semper juxta custodiam ordinis, ut ordo vos cùstodiat.* Pensemus his consideràtîs, quantî Regulas nostras facere debeamus.

PUNCTUM 4tum.

Æstimandæ sunt, & observandæ Regulæ.

4tò: Ex eo, quia obligamur ad omnem honorem, & observantiam Sancto Patri nostro & Matri Religioni. Præceptum enim Dei est, ut Patri & Matri obediamus juxta illud. *Prov: 1: Audi Fili mî disciplinam Patris tui, & né dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torqueos Collo tuo.* Debemus itaq;

implere

implere accuratè, quæ S: Pater noster, & S: Mater Religio nobis per Regulas, facienda præscribit. Sic cum occurrentibus occasionibus, Regulæ alicui adversantibus agere debemus, sicut fecerunt Rechabitæ *Jerem*: 35: Cum enim hi impellerentur, ùt biberent vinum à patre Jonadab prohibitum, responderunt concordi voce: *Pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum, obediemus ergo voci Patris nostri, in omnibus, quæ præcepit nobis.* Sic deberet quisq; Societatis Filius, in occasione transgressionis Regulæ, sibi ipsi intimare: Pater noster præcepit nobis, ut meditationem, examina, lectionem libri Spiritualis cum omni diligentia, perageremus. Procul itaq; tepor, procul omnis negligentia. Præcepit, né extra tempus recreationis loqueremur, né extra tempus prandii & cænæ biberemus ac ederemus, sine facultate, justum itaq; obedire Patri. Absit à me Domine, ùt quidquam contra voluntatem S: Patris mei faciam. Volo exequi omnià, quæ mihi in suis Regulis præscripsit S: Ignatius. Volo omnes actiones meas, totam vitam meam conformare Regulis. Adjuva Domine infirmitatem meam. Da, ùt tuo Spiritu, ut Spiritu S: Patris vivam.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

QUis est homo, qui timet Dominum: legem statuit ei in via, quam elegit. *Psal*: 24.

Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam, in toto corde meo. *Psal*: 118.

Custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi. *Psal*: 118.

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI,

Supra surrectionem Matutinam.

Statue te in Conspectu Dei, aut sub pedibus Christi Crucifixi.

Pete gratiam, utiliter instituendi hanc Considerationem.

I. Habesné prævisos Actus, quos exerceas surgendo, vel de nocte expergiscendo? Adorasné statim Sanctissimam Trinitatem, Christum Crucifixum, & vicinam Eucharistiam? venerarisné Beatissimam, S: Angelum Custodem tuum & SS: Patronos?

S: Xaverius nocturnæ quieti, aliquot horas detrahebat, quas Orationi dabat, potissimùm vero in meditatione vitæ Christi, & mortis ejus acquiescebat. Vit: l: 6. c: 5.

S: Borgias, maximè à media nocte meditationi vacabat, totùsq; inflammatus, extra se videbatur. l: 4. c: 4.

P: Ignatius Martinius diebus singulis, ac noctibus quinas horas, rerum divinarum contemplationi dabat flexîs genibûs. Nonné tu saltem identidem, poteris aspirare ad Deum? & per breves Oratiunculas, mentem tuam elevare? Orasné pro animabus purgatorii, præsertim pro iis, quarum corpora jacent in Ecclesia Domûs aut Collegii? Revelavit Christus Dominus S: Gertrudi Virgini (ùt legitur l: 4. c: 18. insin: div: pietatis:) *Qui pro peccatoribus & animabus purgandis, devotè oraverit, hoc tam dignanter acceptabo, ac si ad me incarceratum, crebriùs veniendo, blandîs consolationibûs suîs, desolationem meam sublevâsset.*

II. Ante somnum facisné protestationes, te velle obdormire in amore Dei sub pedibus Crucifixi, & sub scabello Pedum Beatissimæ, in assistentia S: Angeli Custodis, & SS: Patronorum.

P: Didacus Martinus ùt memoriam passionis Christi, quam interdiu semper fovebat, etiam de nocte conservaret, caput asperrimô ciliciô obvolvebat. Lyr: l: 1. *Apoph:* 17.

P: Joannes Gondinus, quacunq; noctis horâ conveniretur, coram Christo Crucifixo inveniebatur. *Idem.*

Joannes Berchmannus dicere solebat, in adversis non esse tutius asylum, quàm Christi Crucifixi vulnera & sinum, ac pallium, Beatissimæ Virginis Vit: p: 2.

Protesta-

Protestarisné, id contra tuam voluntatem futurum, quidquid in somno malum acciderit? Commenda tua somnia custodiæ S: Xaverii, etiam per somnium decertantis ad sangvinem, cum phantasmate minùs Sancto.

III. Petisné ante somnum gratiam, ut te Deus præservet, ab omnibus phantasmatis, & diaboli illusionibus, præsertim per illa Christi ludibria, quæ passus est apud Caipham, tota nocte exagitatus.

IV. Curasné primam cogitationem ad Deum convertere, & in ipsa surrectione elicisné actus fidei, spei, charitatis & invocationis Dei. Ex primordiis enim cogitationum manè, pendent & derivantur cogitationes totius diei, ùt Cornelius à Lapide docet & addit, quòd diabolus id sciens, evigilanti conatur objicere, primò cogitationes fædas, mundanas & vanas. Com: in Prov: Sal: c: 7.

V. Quis tibi gustus surgendi ad primum ictum campanæ? & tamen hoc signum magni Regis est. Quæsierat B: Bertrandus, ex Beatissima, quid amore suî vellet à se fieri; & audiit responsum: *Surge ad primum ictum signi dati.* Facisné id sinè tergiversatione?

VI. Asuevistiné, ut compositis in Crucem manibus, dextro lateri indormias? ut per eam compositionem conserves doctrinam Thomæ á Kempis qui l: 2. c: 12. *ait: in Cruce salus, in Cruce vita, in Cruce protectio ab hostibus, in Cruce infusio supernæ svavitatis, in Cruce robur mentis, in Cruce gaudium Spiritûs, in Cruce summa virtutis, in Cruce perfectio Sanctitatis.*

VII. Asuevistiné, ut cautus, & bene tectus dormias?

VIII. Non imitarisné aniles fabulas? locò debitæ devotionis interpretando somnia?

IX. Tantâné verecundiâ te ornas, ut nulla pars corporis, intecta minùs decenter maneat? Recole illorum Eremitarum verecundiam

recundiam, qui nolentes nudare se, ad tranandum fluvium, Angelicis manibus deportati sunt Recole & illud, quòd Beatissima, cum Religiosorum de nocte visitaret cubicula, illos præteribat, qui non bene tecti decumbebant. Estné in te verecundiæ amor?

X. Retinesné pristinam Sanctorum Religiosorum consvetudinem, osculandi vestem Religiosam, tanquam pretium sangvinis domini tui?

XI. Solesné eluere aliquo actu, saltem percussione pectoris, si quid, etiam involuntariè somnies profanum aut turpe?

XII. Curasné à surgedo, quàm diutissimè silentium servare? & primum verbum nonnisi lingvâ in Vulneribus Christi intinctâ loqui?

XIII. Properasné cum magno desiderio, ad salutandum Christum in Eucharistia & ad Beatissimam? Legitur de Patre Theophilo Raynaudo nostro, Viro magnæ eruditionis, quòd illum Visitator nocturnus, semper in lecto reperiebat, & Excitator semper extra lectum, ità festinantem ad Eucharistiam, ut nemo ad ictum surgens, illum præcesserit. Non possesné illum imitari?

XIV. Asuescisné statim à Novitiatu, inducens id in naturam, ùt sis contentus horis somni à S: Patre constitutis? utiq; hoc est nostrum matutinum, nostra de media nocte surrectio.

CAPUT 2dum.

De Impedimentis & Periculis, à Fine detrudentibus.

Nihil magìs à consequendo fine, & de via Cælestis Sapientiæ, detrudit, quàm peccatum. Unde Sapiens monet: *In malevolam animam, non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis Sap:* 1. Cui itaq; cordi est, servire Deo, propriamq; salutem promovere & in via Cælestis sapientiæ consistere, maximus illi horror, maximumq; peccati odium, per varias considerationes, cognitionemq; seriam malitiæ peccati, concipiendum est. *Sapiens enim*

enim cor, & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus justitiæ successus habebit Eccl: 3: 1mò: Igitur in cognitione gravitatis, & malitiæ peccati, mens Religiosi demorabitur. 2dò: Cæcitatis Spiritualis, quæ ex peccatis oritur notitiam comparabit. 3tiò: deniq; ad contemplanda pericula, ùt efficaciùs evitentur descendet.

§. PRIMUS

De Malitia & gravitate peccati.

TRiplici meditatione gravitas peccati mortalis, expendetur. 4ta venialium exponet malitiam.

MEDITATIO 1ma.

De triplici peccato Angelorum, Adami, & proprio cujusq;.

PRæl: 1: Colloca te tanquam reum coram Deo Judice in throno sedente, à cujus ore fluvius igneus, rapidusq; egreditur ad cruciandos peccatores, ùt Propheta ait *Dan: 7:*

Præl: 2: Pete gratiam cognoscendi gravitatem peccati, & ejus horrorem concipiendi.

PUNCTUM 1mum.

Peccatum Angelorum.

INprimis memoria statuat, ante oculum mentis tuæ, peccatum ab Angelis commissum, qui in Cælo pleni sapientiâ & gratiâ, à Deo, conditi, libero suo arbitrio abutentes, superbè, se contra Deum Creatorem suum erexerunt, & propterea è Cælo ejecti, ac in infernum præcipitati sunt. Discurrat deinde intellectus, circa hanc veritatem, expendatq; singulas circumstantias, atq; consideret illos Angelos, creatos esse puros Spiritus, immortales, intellectuales, liberos, cum magnis dotibus & plenitudine donorum, capaces beatitudinis æternæ; quia tamen ingrati multi exstiterunt, & abusi donis Dei, Deus eos de Cælis ad æternos inferni ignes, nullo pænitentiæ spatio relicto, deturbavit; omnibus gratiæ do-

nis ſpoliatos. Exhorreſce juſtitiam Dei in Angelos, & mirare longanimitatem ejus ſuper te; atq; infer: ſi Deus Angelis tam perfectis creaturis peccantibus non pepercit, quomodo tu vermiculus terræ præſumere audebis? ſi in peccatis, & conſvetudine peccandi hæſeris & veram pænitentiam non egeris. Expende, quibus te gratiis & donis cumulavit Deus, quomodo in Religione te, tanquam in Cælo collocavit; compara item innumera tua peccata, tum cogitationum, tum verborum, tum operum, cum unico cogitationis peccato Angelorum. Adde, quòd Chriſtus pro peccantibus Angelis non ſit paſſus, tu toties peccando, ſangvinem Chriſti pro te effuſum conculcâſti. Ex his agnoſce te digniorem, præ omnibus dæmonibus eſſe, quem Deus in infernum à facie ſua projiciat. Deprime teipſum infra omnes inferos, abjice infra pedes Luciperi. Erige tamen ſpem in Deum dicens: O Deus miſericordiarum, ego quidem malus, ſed quia tu bonus, & bonitatis tuæ infinitus eſt numerus, humillimè ſupplico, miſerere meî usq; in finem, & exalta in me miſericordiam tuam.

Conſidera inſuper, per quos gradus Angeli peccando ad tam infelicem ſtatum pervenerunt. 1mus fuit gradus perditionis; æſtimatio ſuî, unde proceſsit contemptus hominis, murmuratio in Deum, tandem ſeditio & commotio reliquorum Spirituum. Vide, utrùm non eodem paſſu in extremam ruinam deſcendant nonnulli Religioſi; ſæpe enim aliqui appetunt excellere, videri, æſtimari, unde progrediuntur ad contemptum aliorum, odiaq;, rixas excitant, calumniîs, factionibûs communitatem perturbant. Contra ſuos ſuperiores murmur, & ſeditiones movent. Ex quo oritur rerum Spiritualium nauſea, Regularum & meditationum neglectus, ac tandem vocationis ipſius contemptus, & à Religione defectio. Vide ô Religioſe, ut abneges temetipſum, & amorem proprium, imprudentemq; tui æſtimationem, totaliter exuas, né in tam gravem ruinam devenias.

PUN-

PUNCTUM 2dum.

Peccatum Adami.

EAſdem potentias tres animæ tuæ exerce, circa peccatum primorum Parentum. Hi in paradiſo, omnis voluptatis loco poſiti, donis juſtitiæ Originalis ornati, omnibus virtutibus cumulati, quia præceptum non cuſtodierunt. ingrati pro tantis beneficiis, ſubitò ejecti de paradiſo, morti, & omnibus hujus vitæ miſeriis, cum tota poſteritate ſubjecti.

Cogita 1mò: Semel Parentes noſtri, unum tranſgreſsi ſunt præceptum Dei & ſubitò puniti, tu quot præcepta & quoties transgreſſus es? quid putas, an tu evades omnes pænas? Cogita 2dò: quanta mala imminent incauto homini, à gula, & ſenſuum oblectamentis. *Vidit mulier, quòd eſſet pulchrum & aſpectu delectabile.* Et ſic ad præceptum Dei violandum inclinata. Vide, né & tu, ſenſualitate abripiaris; curà, ut ſis omnis ſenſualis voluptatis inimicus, ſicut diaboli, & in filiorum Dei libertate perſiſte, nec unquam acquieſcas carni & ſangvini. Propone media cautiùs vivendi.

PUNCTUM 3tium.

Peccatum particulare.

PErcurre omnes annos, menſes, dies vitæ tuæ, percurre locos in quibus manſiſti, & vide, quæ in his omnibus & quanta peccata commiſiſti? multos Deus ad æternos Cruciatus damnavit ob unicum peccatum; tibi hucusq; parcit, qui tam multa & gravia commiſiſti, & adhuc te expectat; quando tandem finis turpitudinis tuæ? quando deplorabis, & ſeriam incipies de peccatis tuis pænitentiam? Admirare ſpecialem erga te Dei bonitatem, quòd te peccantem tamdiu toleraret, nec fulmine feriret, aut ſubitanea morte de vivis tolleret. Deteſtare & odium inplacabile concipe omnis peccati. Elice actum contritionis, de peccatis commiſ-

sis, deprecare Deum à te offensum, puni in te peccata tua severâ pænitentiâ. Pete ad id auxilium Dei, & Spiritum pænitentiæ. Nonné sufficit tibi toties, iram Dei meruisse, tot annos, & dies vanitatibus dedicâsse?

COLLOQUIUM.

TOlerâsti me Domine hactenus, tolerâsti peccantem, & tua præcepta transgredientem. Vidisti ingratitudinem & debita mea, & impium non perdidisti, sed misericors, tempus pænitendi prolongâsti. Ergone miser abutar patientiâ tuâ? Ideoné tu bonus, ut ego sim malus? O amor infinite, quomodo amplius deseram te? Non ampliùs Domine, non ampliùs peccare volo. Dixi, nunc cæpi; moriar potiùs, quàm ut ampliùs offendam te, displicet mihi & vita, si sit sinè amore tuî.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Deus propitius esto mihi peccatori.

MIserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. *Psal:* 50.

O Deus! tibi soli peccavi, quem solum amare debui.

Pænitet me peccâsse; utinam nunquam te offendissem!

Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo mũda me. *Ps:* 50.

MEDITATIO 2da.

De Gravitate ac Odibilitate peccati mortalis.

PRæl: 1: Colloca te in conspectu Dei, increpantis peccatores hîs verbîs. Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui.

Præl: 2: Pete gratiam, ut seriò apprehendas, malitiam peccati, & concipias odium, horroremq; quàm maximum totâ vitâ durantem, omnis peccati mortalis.

PUN-

PUNCTUM 1mum.

Peccatum mortale adversatur Deo.

COnsidera gravitatem ac odibilitatem peccati, ex summâ dignitate & magnitudine Dei, cui peccatum mortale adversatur. Nam adversatur, 1mò: Deo ùt Creatori, cùm opus ejus rectũ depravet, & inficiat. Sic hominem, ad Imaginem Dei factũ, deturpat, & ad altissimũ finem ordinatũ, transvertit ad quærendas vanitates, & à Creatore ad Creaturam convertit. Unde queritur Deus Jerem: 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* 2dò: adversatur Deo, ùt Benefactori, quia facit, ut peccans, beneficiis, creaturisq; sibi à Deo concessis, tanquam mediis ad Dei gloriam, & salutem ipsius hominis, abutatur ad offensam Dei, v. g. ut abutatur, oculis, lingvâ, manibus &c. & cæteris rebus, iis scilicet utendo, ad illicita, & à Deo prohibita. 3tiò: advérsatur peccatum Deo, ùt Legislatori, ac supremo Domino: per peccatum enim, imperia & præcepta Dei violantur. Hinc S: Aug: lib: de natura & grat: *In omni peccato Deus contemnitur in suis præceptis.* 4tò: adversatur Justitiæ Divinæ, peccans equidem, non reveretur justissimum vindicem malorum, ac Judicem omnium, sed præsumens de ejus misericordia, falsò putat, quòd ejus peccata Deus non vindicabit. Proinde S: Bern: Ser: 3. de Resurrectione Domini disserit: *Peccator omnino vellet, Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire; vult ergo eum, non esse Deum.* 5tò: adversatur immensitati Divinæ, ejusq; sapientiæ, omnia clarissimè videnti atq; perspicienti, in cujus conspectu audet peccans indigna perpetrare. 6tò: adversatur Dei Omnipotentiæ, illam non timendo, quæ potest corpus perdere, & animam mittere in gehennam, & eodem momento, fulmine ferire peccantem. 7mò: adversatur peccatum summæ bonitati Divinæ, quam spernit peccans, & postponit alicui bono creato, hoc plus amando, quæ-

rendo,

rendo, optando, honorando, ei deferendo, &c. quàm Deo. Vide utrùm & tu per peccata tua non adversabaris Deo, utrùm ipsius conspectum ubiq; reverebaris? utrùm in omni loco, & opere timueris Deum vindicem tibi assistentem, utrùm ingratus non abusus fueris ejus beneficiis, ad illius ipsius offensam? Exhorresce omne peccatum, detestare malitiam ejus toto cordis affectu. Admirare Dei bonitatem, quòd te incolumem tamdiu toleraverit. Deplora & tua & aliorum peccata. Age pænitentiam, & dispone in singulos dies, adhibendas mortificationes & pænitentias.

PUNCTUM 2dum.

Peccatùm adversatur ipsi peccanti.

CONsidera, quæ mala infert peccatum ipsi peccanti. 1mò enim obcæcat eum, juxta illud Prophetæ Sophon: 1. *Ambulabunt, ùt cæci, quia Domino peccaverunt.* 2dò: reddit illum fatuum, & stultum, quid enim stultius, quàm bonis æternis præferre temporalia? & plus adhærere Creaturæ, quam creatori? quid enim stultius, quàm velle finem, nempe velle salvari, & nolle media? velle esse Religiosum, & nolle observare ea, quæ sunt Religionis. 3tiò: omnia mala inducit in peccantem, juxta illud Prov: 4. *Miseros facit populos peccatum* Et S: Pauli Rom: 2. *Tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum.* 4tò: Reponit peccantem in tali statu, in quo nihil potest pro gloria Cælesti mereri, peritetq; in æternum, si moreretur. 5tò: spoliat hominem omnibus meritis, quæ habuit in thesauris Dei, & facit eum inhabilem ad participationem meritorum, quæ fiunt in tota Ecclesia. 6tò: aufert homini securitatem salutis per totam vitam, seclusâ speciali revelatione. 7mò: Privat eum jure hæreditatis Cælestis & dignitate filiorum Dei. 8vò: Facit homini vitam inquietam, mortem amaram, & tremendum Dei judicium. 9nò: Facit illum mancipium diaboli. Hinc S: Aug: in Epist: ad Rom: dicit: *quòd*

peccans

peccans animam suam vendat diabolo accepta, tanquàm pretio, dulcedine voluptatis temporalis Quis peccatum non exhorrescat? quis non detestetur? reflecte te, utrùm & te similibus malis aliquando non infecerit? retracta omnia, deplora cæcitatem hominum, quòd inconsideratè ruant in peccata. Implora auxilium Dei, ut nobis omnibus tribuat, in lumine claritatis suæ, in horrore peccacati, ambulare cunctis diebus vitæ nostræ.

PUNCTUM 3tium.

Peccatum unius hominis adversatur toti Communitati ac Regno.

REvoca tibi ex sacra scriptura aliquorum peccata, inferentia in totas communitates multa mala. Sic peccatum Adami quantis malis totum genus humanum involvit, & hucusq; exercet. Sic unius Judæ perfidia totam navem cum Apostolis commovit, & periculo submersionis exposuit. Ut S: Ambr: l: 4. in Luc: c: 5. *Unius delicto cunctorum merita quatiuntur.* Sic Josuæ 7. Unus Achan deliquit furtivè aliqua surripiens, & totus Israël punitur; ad quem Josue, *quia turbâsti nos, exturbet te Dominus, in die hac.* Sic Davide peccante, totum Regnum peste affligitur. Sæpe & nunc propter unius delictum puniuntur Regna, Communitates, Civitates &c. Expende, quanta sit malitia peccati, ex qua tot mala veniunt. Execrare & exhorresce peccatum. Elige potiùs omnia mala pati, quàm vel unum peccatum committere, Averte Deus viam iniquitatis à me & potiùs moriar millies, quàm te unquam, Dominum, Deum meum offendam. Humilia te coram Deo, & confitearis peccatum tuum, per quod fuisti causa multorum malorum.

COLLOQUIUM.

O Deus juste & misericors, ego miser peccator, plenus confusione coram te, cupio deplorare miseriam meam, ut tuam impetrem misericordiam. Peccavi Domine, peccavi, & offendi te Deum meum, Creatorem, Benefactorem, Patrem ac Dominum, &

Judicem meum. Poteras me in ipso peccati momento ad inferos detrahere, sed pepercisti mihi, ut per pænitentiam redirem ad te. Da ergo lacrymas & cor contritum, ut dignè defleam peccata mea, & dignos faciam fructus pænitentiæ.

Pater: Ave &c. Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

ECce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me Mater mea. *Psal: 50.*

Malum & amarum est, relinquere Dominum Deum. *Ierem: 2.*

Non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, sed iniquitates & peccata vestra absconderunt vultum ejus à vobis, né exaudiat. *Isaiæ: 59.*

De propitiato peccato noli esse sinè metu, neq; adjicias peccatum, super peccatum. *Eccl: 5.*

Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? *Rom: 6.*

MEDITATIO 3tia.

De Circumstantiis aggravantibus peccata Religiosi.

PRæl: 1. Collocemus nos coram Sanctissima Trinitate, & Sanctis Patribus nostris.

Præl: 2. Petamus gratiam cognoscendæ gravitatis peccati in Religione commissi, & illius detestandi.

PUNCTUM 1mum.

Gravitas peccati ex loco.

COnsideremus, quòd Deus gravissimè puniverit, peccata in loco sacro commissa. Sic gravissime punivit Luciperum nullo ei relicto pænitentiæ spatio, ob superbiam in Cælo commissam. Sic Adamum & Evam propter inobedientiam factam in Paradiso. Sic Dathan & Abiron, ob murmurationem perpetratam, in medio populi Dei. Sic Matt: 22. Severa instituitur inquisitio, cum illo qui non debitè ornatus, ausus est intrare in locum nuptiarum.

Amice

Amice quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? ligatis manibus, & pedibus ejicite eum in tenebras exteriores Domus Religiosa est locus nuptiarum, in quo desponsantur animæ Filio Regis, Christo Domino. Sic deniq; *Isaiæ* 26. minatur omnibus in loco sacro peccantibus, ubi dicit: *In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Et certè dignusné est gloriâ Domini, qui in loco Sancto, ex quo Sanctior esse debuerat, malus factus est? Ipsa loci Sanctitas, reverenter habenda est; nullis itaq; pravis moribus contaminanda. Videamus igitur, nè eandem sententiam pati mereamur, & à gloria Domini sive in terris promovenda, meritò excludamur, sive à Cælesti exulemus. Potest enim Deus absq; omni injuria, propter unum etiam parvum defectum in domo sua & in conspectu Majestatis suæ admissum, totaliter deserere hominem atq; gratiam subtrahere. Proinde, nè justam Dei indignationem, incurramus, faciamus, ut quàm cautissimè ambulemus in domo Domini. Percurramus dies vitæ nostræ, in Religione. Examinemus, utrùm hunc locum, tot Sanctorum Prædecessorum exemplis, ac virtutibus consecratum, non contaminaverimus. Erubescamus, deploremus, ac deprecemur Deum, & Sanctos Patres nostros.

PUNCTUM 2dum.

Gravitas peccati ex infructuositate.

CONsideremus, quid Deus de hominibus, nullum fructum facientibus, sub parabola de arbore infructuosa dixerit Luc: 13 *Succide ergo illam, ùt quid etiam terram occupat.* Nempe indignum judicabat, ut absq; ullo fructu illum locum teneret, quem alia fructifera occupâsset utiliùs, ideoq; tollendam præcepit. Hinc inferamus, si tale quid de infructuoso ligno statuit, quid de pestifero & venenatas baccas ferente statuisset? Time igitur anima! sciens te infructuosam arborem esse, imò tot peccatorum venena proferen-

tem. Fiet enim alioqui, ut Deus te evellat ex vinea sua, abjiciatq; à gratia & Religione sua, & tanquam lignum aridum, ad ignem inferni deputet, ut interim alius ferventior, & observantior legum, substituatur, qui fructus faciat vitæ æternæ. Seriò itaq; invigilandum sibi quisq; putet, & timorem Dei conservare velit, ac cum timore & tremore operari salutem non differat.

PUNCTUM 3tium.

Gravitas peccati ex tot auxiliis & præsidiis.

COnsideremus, quòd Deus, tot media providit nobis, in Religione ad perfectionem consequendam, & evitanda peccata. Meditatio enim quotidiana, lectio libri Spiritualis, examina, Ordo ac dispositio temporis domestici, possunt nos juvare ad magnam Sanctitatem, modò ipsi velimus omnia ista diligentissimè observare. Item inspirationes divinæ, auxilia spiritualia, Regulæ, ac hæc ipsa Exercitia, nonné possent nos ad eximiam elevare vitæ sanctitatem, si omnia ùt par est perageremus. Imaginemur alloquentem nos Christum. Ego te posui in loco isto Sanctorum, ut tu quoq; Sanctus evaderes. Introduxi te in terram bonam, ut in ea fructificares. Suppedito tibi tot inspirationes, tot ordinationes, instructiones, Regulas, & tu in contrarium abiisti, & de malo pejor fieri in medio Sanctorum non vereris. Confundere coram Christo, deplora omnes defectus & negligentias tuas. Implora auxilium Dei, ut sanctiùs præsidiis, ac donis tibi à Deo provisis utaris.

PUNCTUM 4tum.

Gravitas peccati ex Ratione Statûs Religiosi, & Fundatorum beneficiis.

COnsideremus, quòd peccata à Spirituali, ac Religioso homine facta graviora sint aliorum hominum peccatis. 1mò: ex eo, quia Religiosus majorem habet obligationem Deo serviendi, quàm omnes sæculares. Siquidem se specialiter Deo ad id obligavit. 2dò: quia

quia victu & amictu benefactorum, aliisq; commodis absq; suo labore, & impensis utitur, quæ non alio fine à benefactoribus conferuntur, nisi ut Religiosi fideliter Deo serviant. 3tiò: quia per suum statum & Regulam, amovetur ab omnibus occasionibus peccandi, modò se ultrò non ingerat. 4tò. quia magis culpandus est, qui cadit in luce, & pleno meridie, quàm ille, qui cadit inter tenebras positus. Porro sæculares versantur, tanquam in tenebris, Religioso verò multa allucent lumina, tum exemplorum, tum doctrinarum, & inspirationum divinarum. Exhorrescat itaq; quàm maximè peccatum, petatq; à Deo gratiam, ut illud implacabili prosequatur odio.

COLLOQUIUM.

O Bibis mente illos locos, vitæ tuæ Religiosæ, in quibus aliquo peccato Deum tuum offendisti, & prostràtus, Deum deprecaberis, deplorabis, & lacrymis elues profanatam à te Sanctam Religionis terram. Retractabis, quidquid aliquando malè actum; implorabis gratiam sanctè ubiq; vivendi.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

IN terra Sanctorũ iniqua gessit, non videbit gloriã Domini *Isa.* 26. Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est & maledicto proxima *Heb*: 6. Viam iniquitatis amove à me & de lege tua miserere mei *Psal*: 118. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum; legem autẽ tuam dilexi *Ps*: 118.

HORA QUIETIS
DANDA CONSIDERATIONI,

Supra Usum Sensuum Externorum.

COllocatus sub pedibus Christi Crucifixi, pete gratiam fructuosæ reflexionis, de usu sensuum, donumq; illis bene utendi ac defectus evitandi.

Qui defectus contingunt in Usu Oculorum.

1. *Curiositas.* Sic Gen: 34. Dina ob curiositatem videndi mulieres ejus nationis, jacturam Castitatis & famæ passa est.

2. Cupido rerum inutilium. Hac viâ Eva se, & nos perdidit Gen: 3. Videns & concupiscens pomum.

3. Incontinentia ac libido. Sic Judic: 14. Vidit mulierem de filiabus Philistiim & adamavit. Sic Dan: 18. Senes illi *exarserunt in concupiscentiam.*

Remedia evitandorum peccatorum.

1. Firmum propositum nunquam circumspiciendi vultus formosiores. Sic Alphonsus Rodriquez Janitor annorum 40., nunquam ullius fæminæ vultum conspexit.

2. Modestia oculorum accurratè servanda, quam Isaias sic commendat: *Qui claudit oculos suos, nè videat malum: iste in excelsis habitabit.* Narrat Marulus de quadam Abbatissa, quòd 60. annis, ad ripam fluminis manens, nunquam prospexit ad flumen circumfluens, aut ad prata vicina.

3. Recordare JESU oculorum, lacrymis, Sangvine & livore suffusarum, & amore ejus conclude fædus cum oculis tuis, né videant vanitatem, olim ad cælestia spectanda reservandi.

Qui defectus contingunt in usu aurium?

1. Audire verba vel cantationes minùs decentes. Nam juxta Ecl: 37. *Verbum nequam immutabit cor.*

2. Audire murmurationes, oblocutiones. Unde monet Spiritus Sanctus Prov: 24. *Cum detractoribus non commiscearis, quoniam repente consurget perditio eorum.*

3. Audire verba blanda, adulatoria, propriam laudem continentia. audi David: Psal: 64. *molliti sunt sermones ejus, & ipsi sunt jacula.*

4. Audire sermones inducentes & suadentes malum. Hinc ma-

ledictio

ledictio Dei, in Adam. Gen: 3. *Quia audîsti vocem uxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo.*

5. Audire verba ludicra, servilia, de quibus Sanctus Bernardus: *Nugæ in ore sæcularis, sunt nugæ, in ore Religiosi sunt blasphemiæ.* & S: Paulus monet: *stultiloquium aut scurrilitas nec nominetur in vobis; sicut decet Sanctos.*

6. Audire rumores inutiles. Unde S: Pater noster in Regulis prohibet, nè domi referantur sine utilitate, quæ foris audiuntur.

Remedia evitandorum defectuum.

1. Vitanda conversatio cum illis, qui tales defectus obtrudunt auribus.

2. Si contigerit aliquid eorum, quæ lædunt conscientiam, ostende displicentiam.

3. Diverte ejusmodi sermones ad alia utiliora, vel si expedit, mone, né talibus aures honestæ offendantur, aut, si aliter non poteris, demissîs oculîs, in interiore mente detestare ea, quæ proferuntur.

4. Ad hæc te excitet amor Christi, cujus aures spinîs cruentatæ sunt propter nostras ineptias in audiendo.

Qui defectus contingunt in usu lingvæ, ad loquelam.

1. Oblocutiones, detractiones, quæ potissimùm oriuntur ex superbia vel invidia, constituuntq; gravius peccatum, quàm sit furtum, Hinc S: Paulus Rom: 1: *Detractores Deo odibiles.*

2. Verba contumeliosa de quibus Sapiens. Prov: 10. *Qui profert contumeliam, insipiens est.*

3. Verba seminantia discordiam, de quibus, Ecl: 28. *Susurro & bilingvis maledictus.*

4. Verba irrisoria, quæ prohibentur Ecl: 7. *nè irrideas hominem in amaritudine animæ.*

5. Verba contentiosa, de quibus S: Paulus Tim: 2. *Noli contendere verbis, ad nihilum enim utile est.*

6. Verba

6. Verba prodentia arcana, quæ ſunt contra prohibitionem Spiritus Sancti Prov: 52. *ſecretum extraneo né reveles.*

7. Verba querulоſa. Et tamen docetur Pſal: 38: *Humiliatus ſum & ſilui.*

8. Verba jactabunda, monet verò Spiritus Sanctus Prov: 27. *laudet te alienus & non os tuum, extraneus, & non labia tua.*

9. Verba mendacia, fraudulenta, ironica, de quibus Salomon Prov: 12. *Abominatio Domino, verba mendacia.*

10. Multa alia verba, ùt minus decentia, allegorica &c. lingva enim juxta S: Jacobum *eſt univerſitas iniquitatis.*

Remedia defectuum lingvæ

1. Accuratum & conſtans ſilentium.
2. Vitandæ converſationes inutiles ac noxiæ.
3. Circumſpectio in loquendo, ac verecundia.

Añales Ren: Coll: Spiren: 1611, referunt de P. Mathæo Boys, quòd hic adhuc novitius, in peregrinatione, cujusdam menſæ accumbens, ubi aliqua inhoneſta loquentes, audîſſet, totus tremere, & tandem in lacrymas ſolvi, ſangvinéq; de naribus perfundi cepit. Cauſam rogatus expoſuit: Egoné dolore non afficiar? cum videam ſupremum Numen, ita hac lingvæ improbitate violari?

Qui defectus per guſtum?

1. Edere & bibere ſupra neceſsitatem, præſertim cum jactura valetudinis.
2. Uti cibo ad Saturitatem, & potu, Luc: 6: *Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.*
3. Uti cibis & liquore delicato, cum aromatibus Sañgvinem accendentibus, & igniculos voluptatis carni ſubjicientibus.
4. Uti cibis & potu, ob ſolam guſtûs oblectationem, & non propter conſervandas vires ad laudem Dei.
5. Uti cibo & potu, non ſuo tempore, non loco debito.
6. Effundi toto appetitu in cibos.

Reme-

Remedia defectuum.

1. Recordare invitatum te ad Cæleſtes nuptias, ubi ſatiaberis cùm apparuerit gloria ejus.

2. Time, nè cum divite Epulone damneris, qui in inferno ſepultus, quòd ſplendidè quotidie veſceretur.

3. Memor eſto paupertatis Chriſti, eſurientis in deſerto, & ſitientis in Cruce.

4. Conſidera, cibîs oppleri brutorum eſſe, & eorum nimietas obtundit ſenſus.

5. Expende Sanctorum jejunantium exempla, quorum concivis cupis eſſe in Cælo.

Qui defectus per odoratum.

1. Omittere bona opera, propter gravedinem odoris v. g. non præſtare infirmo obſequium.

2. Circumferre odoramenta, vel illis ſeſe inungere, quæ virum cordatum, & multò magis Religioſum dedecent.

Remedia.

1. Memor eſto vultus Chriſti fædîs ſputîs obliti.

2. Cura ut virtute, ſis bonus odor Chriſti.

Contra tactum.

Ex Sanctis Patribus & S. Bonaventura, Pachomio, Caſsiano tenenda.

1. Abſq; neceſsitate nemo tangat ſeipſum, vel alium.

2. Nec vultus, nec manus, nec caput alienum tangendum.

3. Cavendum, nè mulceantur canes, aves, & alia animalia.

4. Non utendum mollioribûs indumentîs, ſtratô &c.

5. Duriora & afflictiva ſectanda ſunt.

6. Vide manus & brachia Chriſti in Cruce extenſa, & ejus clavîs confige manus tuas.

MEDITATIO 4ta.

De peccatis venialibus.

PRæl: 1: Colloca te tanquam leprosum coram Deo, purissimo omnis Sanctitatis fonte.

Præl: 2: Pete gratiam agnoscendi & detestandi fæditatem peccati venialis.

PUNCTUM 1mum.

Gravitas & fæditas peccati venialis.

COnsidera peccati venialis gravitatem & fæditatem. 1mò: tantam esse, ut, nè quidem pro toto mundo salvando, licitè committi possit, quia opponitur voluntati Divinæ, fitq; per illud, irreverentia, inobedientia, ac contemptus voluntatis Divinæ. Quæ enim reverentia & amor Patris, à tali filio, qui ea tantùm facere vult, quæ illi à Patre injunguntur, sub gravibus pænis, & sub interminatione rejectionis à sua facie. Nunquid, non ille solus amat Patrem verè, ac reveretur, qui minimos etiam nutus observat Patris, & quæcunq; scit placitura ei, promptissima subjectione exequitur. Ideo viri timentes Deum, potiùs omnium rerum discrimen adire maluerunt, quàm ut unicum deliberatum veniale admitterent. Unde S: Bernardus Serm: 1: de Conv: S: Pauli alloquitur Religiosum: *Non est magnum, dicis, si in his, maneam venialibus, minimisq; peccatis. Hæc est, inquit, dilectissimi impænitentia, hæc est blasphemia in Spiritum Sanctum, irremissibilis.* 2dò ex eo gravitas, & fæditas peccati venialis ostenditur, quòd Deus in nullo Sanctorum suorum, nec in ipsa Humanitate Christi, pati illam potest; statimq; dissolveretur unio Personæ ab Humanitate, & Sancti de Cælo excluderentur, si vel unicum leve peccatum, in illis reperiretur. Hinc etiam justi diutius in purgatorio eluunt culpas, antequam in Cælum admittantur. 3tiò tandem,

dē, ex eo gravitas venialis peccati deducitur, quòd adversetur rectæ rationi, & animā deturpat in oculis Dei, tanquā pulvisculi Imaginem. His consideratis adhucné contemnes levia peccata? Deplora tuam & aliorum cæcitatem, quòd hucusq; non agnoveris, aut agnoscere neglexeris, fœditatem vel minimi peccati. Ora, ut te Deus repleat, quàm maximo ejus odio. Detestare illud. Propone majori diligentia uti, ad evitanda, maximè deliberata venialia.

PUNCTUM 2dum.

Gravitas peccati venialis, ex damnis, quæ infert.

COnsidera per peccatum veniale hæc damna fieri. 1mò: vires animæ debilitat, eamq; sponsam Christi fœdat. Quis autem non optet, ut tanto sponso, quàm maximè placeat. 2dò: desolationes summas adfert, & incapaces facit spiritualis consolationis, item non ita aptos ad lumina percipienda. 3tiò: disponit ad mortale, sicut morbus disponit ad mortem. *Qui enim spernit modica, paulatim decidet. Eccl:* 19. Et sæpe, quæ nobis videntur parva, apud Deum magna sunt. Cogita, quid faceres, ut liberareris à lepra, aut alio morbo, si iis laborares? multò majus malum est unica culpa venialis. Cur ergo tam facilè eam admittis? Resolve te firmissimè, quòd nunquam velis committere peccatum plenè deliberatum.

PUNCTUM 3tium.

Gravitas peccati venialis ex pœnis à Deo inflictis.

COnsidera ex sacra scriptura, tot exempla punitorum gravissimè pro venialibus. 1mò: Uxor Loth pro curioso aspectu converso ad Sodomam, in statuam salis conversa est, & insperato casu de vivis sublata est. 2dò: quia David ex quadam vanitate jussit exercitum numerari, punitus est morte magnæ multitudinis ex eodem exercitu; septuaginta enim millia sublata sunt morte subitâ. 3tiò: Unus de Prophetis, quia contra voluntatem Dei gustavit

parům panis, apud alium Prophetam, à leone discerptus est. 4tò: Pueri item quadraginta, illudentes Eliseo, & calvum eum compellantes, ab ursis suffocati sunt. 5tò: Pariter illi inter Israëlitas, Datan, & Abiron, à terra sunt absorpti quia murmurabant contra Moysen Superiorem suum. 6tò: Ananias & Zaphira extincti subita morte ob mendacium coram S: Petro commissum. Plura alia exempla habentur in sacra scriptura. Exhorresce quodvis peccatum, quod tam gravem pænam meretur. Pete ardenter à Deo, ut te faciat immunem ab omni peccato.

COLLOQUIUM.

ERgoné Domine Deus meus, admittam aliquid contra voluntatem tuam, ob id, quia parvum videtur, & levis tua offensa? imò ex hoc ipso vincam me, & inveniar fidelis super pauca, sperans gratiam & auxilium tuum, ad vincenda graviora. Quid quid ô bone JESU videt maculæ oculus tuus, in anima mea, eluat illud sangvis tuus, defluens de vulneribus tuis. Ampliùs lava me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS per DIEM FREQUENTANDI.

Qui spernit modica, paulatim decidet Eccl: 19.

Nescitis, quia modicum fermentum, totam massam corrumpit. 1. *Cor*: 5.

Domine tu omnia nôsti, tu scis, quia amo te. *Jo*: 21.

Qui ùt filius & non ùt servus obedit Deo, etiam in minimis timet offendere. *S: Basil:*

Fugiamus modica mala, magna siquidem ab illis nascuntur. S: Chrisost: in C: 7. ad Rom:

Beatus vir, qui inventus est sinè macula *Eccl:* 31.

§.

§. SECUNDUS.

De Cæcitate Spirituali.

OMnium planè malorum & errorum, in quovis statu & Ordine hominum, origo, est cæcitas Spiritualis, seu defectus debitæ reflexionis, & luminis, juxta Prophetam. *Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.* Jerem; c. 12. proinde maximè ei obviandum videretur.

Juvabit ad id exequendum unica, quæ sequitur

MEDITATIO 1ma.

De Cæcitate Spirituali.

PRæl: 1. Audi DEUM minitantem Pharaoni: Ego excæcabo & obdurabo cor Pharaonis.

Præl: 2. Pete à DEO, ut cognoscas gravitatem pænæ obcæcationis, utque nunquam eâ puniaris.

PUNCTUM 1mum.

Quid pæna Obcæcationis?

COnsidera obcæcationem consistere, in subtractione gratiæ illuminantis, quam DEUS suô justô judiciô subtrahit ob peccata & defectus nostros, ut talis neq; ex Concionibus, neq; ex Colloquiis Spiritualibus, neq; ex admonitionibus Superiorum, neq; ex usu Sacramentorum, neq; ex lectione libri Spiritualis ac similibus, quidquam proficiat, illáq; invitè, cum fastidio ac nausea agat. Unde obcæcatio est, ultima peccatoris, in hac vita pro peccatis pæna, post quam nonnisi restat infernus. Examina tu tuas lectiones, exhortationes, Colloquia &c, & vide, utrùm saltem non habeas dispositionem ad ejusmodi cæcitatem. Deprecare DEUM, né te & alios ejusmodi pænâ puniat; subjice te potiùs omnibus aliis pænis, modò te DEUS ab hac eximat.

PUNCTUM 2dum.

Per quæ Cæcitas inducitur?

COnsidera 1mò: induci cæcitatem mentis, per neglectum & dissimulationem gratiarum DEI excitantium, & prævenientium, ordinatarum à DEO ad vitandas imperfectiones. Tales enim gratiæ, sunt lumen ad illuminationem animæ, quo extincto, nihil, nisi cæcitas manet animæ. Si itaq; Religiosè, non vis cæcutire, stude, nè extinguas in te hæc lumina, sed in claritate accensorum DEI luminum, semper ambules.

2dò: Inducit hanc cæcitatem, perversitas judicii, vi cujus aliquis salutaria, censet esse noxia, & noxia prosequitur ùt bona; sicut accidit quandoq; in oculo malè disposito, qui pro nigro repræsentat album, pro albo rubrum. Hujusmodi sunt, qui Colloquia sancta, & illos, qui talia proponunt, aversantur, & vanis, curiosis, inhiant. Item, qui Sanctiores fugiunt & dissolutioribus associantur.

3tiò: Inducitur plerumq; cæcitas, per respectus, & rationes humanas, sperantes, timentes, differentes, dissimulantes, per amicitias dulciter persuadentes violationem Regularum, & Sanctarum Consvetudinum, per hos enim respectus sæpé despicitur Deus; & rationes humanæ rectam rationem pervertunt, amicitiæq; ejusmodi, interdum sunt inimicæ Deo. Si vis Religiosè in lumine Cæli semper ambulare, contemne tales respectus, & rationes.

4tò: Neglectus meditationum, examinum, lectionis libri Spiritualis, ex quibus omnibus lux affulget animæ.

5tò: Inducitur per peccata gravia, præsertim in Religione commissa, nec statim expiata, potissimùm autem per superbiam, & peccata luxuriæ. Vide, utrùm aliqua ex his, in te non reperiantur, time, nè tandem cæcitate puniaris.

PUN-

PUNCTUM 3tium.

Quis modus evitandi Cæcitatem?

COnsidera: qui vult evitare cæcitatem, debet 1mò secundùm consilia Christi in Evangelio expressa, vitam suam ordinare. Christus enim dicit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* 2dò: debet curare rectam in omnibus actionibus intentionem, & totum se voluntati divinæ dirigendum tradere. 3tiò: debet observare Superiorum monita, directionem Religionis; hæc enim prælucebunt ei ad omnia mala vitanda, & recta prosequenda. Resolve te ad hæc. Pete à Christo, ut te illuminet. Propone proponenda.

COLLOQUIUM.

AD Christum passum, rogando eum, per oculos Sangvine & livore offusos, & velatos, ut aperiat oculum mentis nostræ.

Pater: Ave &c. Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

PEr viscera misericordiæ tuæ illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Luc:* 1.

Illumina oculos meos, né unquam obdormiam in morte, né quando dicat inimicus, prævalui adversus eum. *Psal:* 11.

DEUS meus, illumina tenebras meas. *Psal:* 17.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Né derelinqvas me Domine Deus meus. *Psal:* 37.

§. TERTIUS.

De Periculis excidendi à fine.

MUlta quidem faciunt periculum excidendi à fine & via Cælestis sapientiæ, nonnullorum tamen duntaxat, frequentiùs occurrentium periculorum, notitiam habere expedit, ut sic prævisa

jacula

jacula minus feriant, & faciliùs feliciùsq; evitentur. 1mum periculum oritur ex tentationibus, quas vincendi ars discenda est. 2dum: ex amore proprio inordinato, cui extirpando incumbendum. 3tium ex passionibus immortificatis, quarum mortificationi & moderationi cura adhibenda. 4tum ex habitibus vitiosis, qui radicitus evellendi. 5tium, ex tepiditate, quæ sedulò excutienda.

De singulis procedent sequentes meditationes.

PERICULUM 1mum.

Ex Tentationibus occurrentibus.

UT paratum semper ad fortiter resistendum inveniant tentationes viatorem Religiosum, accurrata meditatione se præmuniat.

MEDITATIO

De tentationibus.

PRæl: 1. Colloca te coram DEO dicente per Ecclesiasticum c: 1. *Fili accedens ad servitutem DEI, præpara animam tuam ad tentationem.*

Præl: 2. Pete gratiam & auxilium DEI ad vincendas omnes tentationes.

PUNCTUM 1mum.

Nemo liber à tentatione.

COnsidera 1mò: nullum esse statum hominum in mundo; nullum locum tam securum, quo tentator non pertingat, nullam ætatem immunem à tentationibus. Claustra etiam Religiosa ita obserari nequeunt, ut variis tentationibus præcludatur via. Est Religio Cælum, sed et in Cælo deliquit irremediabiliter Angelus. Est Religio Paradisus, sed & in paradisum penetravit tentator, ad cujus persuasionem primi Parentes, innocentiam abliguriverunt. Est Religio Cætus Apostolorum, sed & in hoc Cætu prævaricatus est Judas. Neq; viri Sancti à tentationibus liberi vivunt, imò quò sanctior quis invenitur, eò validiore impetu contra eum insurgit

surgit tentator. Sicut pyratæ, non vacuas, sed pretiosioribûs mercibûs, onustas naves, acriùs avidiúsq; impetunt, & oppugnant ut diripiant.

Considera 2dò: quòd aliquos DEUS permittat tentari statim ab initio suæ conversionis, alios in medio itineris ad perfectionem, nonnullos in decursu vitæ. 1mos quidem ut statim ab initio stabiliantur, & obfirmentur in virtute, atq; suæ imbecillitatis notitiam acquirant, humiliterq; de se condiscant sentire. Illos verò qui maturuerunt in servitio DEI, permittit tentari, ut fructuosiùs probentur, eorumq; virtus expoliatur, sicut igne expolitur aurum. Ultimos deniq; ut per tentationes puriùs emundentur à vitiis, & majorem ex tentationibus proventum, sibi faciant in viam æternitatis. Vide quantâ tibi ubiq; opus sit vigilantiâ? quantâ de tuis viribus diffidentiâ? quantô DEI auxiliô ne succumbas? quantâ Beatissimæ & Sanctorum protectione? Curasne ista omnia? Implorasne auxilium DEI? recurrisne ad Christum Crucifixum, Beatissimam, & Sanctos? Cautene in omni loco & occasione procedis? Cogita quomodo hucusq; in tentationibus te gessisti? & quomodo in posterum gerere debeas. Agnosce coram DEO tuam negligentiam, Confitearis tuam imbecillitatem. O Domine confiteor, & lugeo coram te imperfectum meum, fragilis sum, infirmus sum, tu fortitudo & virtus mea es Domine. Ego arundo ventô agitata, ego folium quod ventô rapitur. Adjutor & liberator meus es tu Domine. DEUS in adjutorium meum intende. Domine ad adjuvandum me festina.

PŪNCTUM 2dum.

Cur DEUS permittat nos tentari?

COnsidera varias rationes ob quas DEUS permittat, variis tentationibûs nos probari. 1ma est, ut virtutum nobis à DEO infusarum, nempè fidei, spei, charitatis, mansvetudinis &c elu-

ceat exercitium. Nam ſicut enſis, & alia arma, nullo uſu exercitata, rubiginem contrahunt, ita arma Spiritualia ùt S. Bernardus ſer: 27. in Can: ait. *Stellæ in nocte lucent in die latent, ſic vera virtus, quæ ſæpe in proſperis non apparet, eminet in adverſis.* 2da: ut diſcamus artem præliandi. Hinc S: Paulus hebr: 11. de ſervis DEI loquitur. *Fortes facti ſunt in bello.* 3tia eſt ut tentationibûs impellamur, ad orationem frequentem, ac recurſum ad DEI auxilium petendum. 4ta: ut deveniamus in notitima, virium propriarum. Sicut S: Auguſtinus in *Pſal: 60.* ratiocinatur. *Profectus noſter per tentationem fit nec quiſquam ſibi innoteſcit, niſi tentatus.* 5ta: ut tædio hujus vitæ, multis periculis, ac tentationibus expoſitæ, afficiamur, & ad Patrem Cæleſtem aſpiremus. 6ta: ut firmiùs radicentur, in animis noſtris virtutes, & maximè humilitas, ac patientia. 7ma: ut per tentationes expientur peccata præterita. 8vā: ùt diligentiores & excitatiores inveniamur in Divinis ùt S: Greg: l: 19. moral: c: 15. ait: *Mala quæ nos premunt hìc, ad DEUM ire compellunt,* 9na: ùt DEus noſtram indolem experiatur. Sicut enim militia explorat militum robur, vires, animum, tolerantiam, fortitudinem &c. quid quiſq; vel pati poſsit vel aggredi auſit, ita vita humana experimentum ſumit dequovis homine, quid agere vel ſuſtinere valeat. 10ma ùt homo magis perficiatur per tentationes, & merita augeat. Hîſce rationibûs expensîs, vide, qualem inveniunt te tentationes? qualem ex illis fructum animæ percipis? Certasne ùt fortis Chriſti miles? Nonne aliquando iiſdem ſuccubuiſti? Implora DEI auxilium ut eos fructus, ex tentationibus percipias, ad quos DEUS illas permittit.

PUNCTUM 3tium.

Quibûs modîs & artibûs utitur adverſarius ad nos tentandos.

COgita quibûs fraudibus utitur dæmon, ad tentandos homines

Reli-

Religiosos, ac debellandos. 1mò: incipit ordinariè à minimis, ut sensim ad majora, tandemq; ad maxima deducat. Sic Judæ imprimis persvasit, amorem pecuniæ, deinde furta, tandem traditionem Christi ejusq; venditionem. Item Davidi persuasit curiositatem, in videndo, deinde cogitationem morosam, deniq; gravem lapsum. Similem artem adhibet, ad seducendum Religiosum, nam si quem vult extrahere ex Religione, non statim illi proponit desertionem illius, sed priùs adducit eum, ad neglectum meditationum & examinum, ad impatientias ex accidentibus circumstantiis, Officiorum, dispositionum non secundùm suum placitum, ad longiores apprehensiones, ad tædia, tandemq; ad deserendam vocationem. Similibûs fraudibûs utitur ad persuadenda alia peccata. 2dò: quandoq; sub prætextu boni insinuat malum, transfigurans se in Angelum lucis, sic sub prætextu observantiæ Religiosæ, suadet odia, ac alia charitatis fraternæ læsiva. 3tiò: interdum diutiùs cessat à tentationibus, ut Religiosū ex improviso adoriatur, & minùs vigilem inveniat, faciliùsq; frangat. Vide quomodo pervigilem te esse doceat, in obsequio DEI, quomodo in omnibus cautum, ac timoratum, quomodo etiam minimi defectus non sint contemnendi, ne ad graviora devolvaris, nam qui spernit modica, paulatim decidet. Despera de tuis viribus. Pone spem in DEO tuo.

PUNCTUM 4tum.

Quis modus resistendi tentationibus?

COnsidera 1mum modum resistendi tentationibus propositum à Christo discipulis, esse Orationem, & vigilantiam. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Ubi itaq; ingruit tentatio, statim recurrendum ad Orationem, ad Christum Crucifixum, Beatissimam, S: Angelum Custodem. 2dus: memoria præsentis DEI. *Vivit Dominus in cujus conspectu sto.* 3tius: modus, vitando

otium, 4tus modus memoria novissimorum, mortis, judicii, inferni &c. juxta effatum Divini Spiritûs. Memorare novissima & in æternum, non peccabis. 5tus modus, exercitium amoris Dei & timoris. Si autem ingruat tentatio molesta, non est cadendum animo, sed fiducia in Deo ponenda, qui non patitur nos tentari; supra id, quod possumus, simul tamen diffidendum sibi, ac suis viribus, & tota spes in Dei auxilio reponenda. Deinde antevertendæ tentationes, adhibitis earum contrariîs, principiîsq; earum obstandum. Tandem contra tentationes illecebrosas sciendum, quod illæ fugâ & contemptu, & aliquid seriò agendo vincantur. Vide utrum hisce mediîs usus sis, in tentationibus. Propone inposterum fortiter, cum gratia Dei resistere, & eos modos adhibere.

COLLOQUIUM.

CUm Christo Domino, qui propter nos per omnia tentatus est, ut te ex omni tentatione eripiat, & adjuvet ne unquam adversarius contra te prævaleat. Ne per mittas me separari à te. Ab hoste maligno defende me.

Cum Beatissima affectu S: Xaverii. O Domina opitulare, non ne opitulaberis? sub pallio maternæ protectionis tuæ conserva me, in vita & in morte. *Pater: Ave: Anima Christi.*

ACTUS EJACULATORII.

DOmine, Domine, virtus salutis meæ, obumbra super caput meum in die belli. *Psal:* 139.

Adjuva me & salvus ero. *Psal:* 118.

Dominus, custodiat me, ab omni malo, custodiat animam meam Dominus *Psal:* 120.

PERICULUM 2dum.

Ex Amore proprio inordinato.

QUantum periculum timendum sit, ab amore proprio inordinato. Constat imo ex sensu Christi requirentis ad sui seque-

lam, omnimodam sui abnegationem, dicit enim Matth: 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Constat 2dò ex sententia SS: Patrum S: Basilius apud Lyr l: 2. Apoph: 1. ait. *Stipendium amoris proprii mors est initium. omnis mali.* Et S: Aug: c: 26. Man: *Si totum homin s bonum amare Deum, totum hominis malum est amare seipsum.* Item Tho: à kem: de imit: l: 3: c: 27. *scito quod tui ipsius amor magis nocet tibi, quàm aliqua res mundi.* Seria itaq; cura adhibenda est ut extirpetur, in quem finem sit.

MEDITATIO

De Amore proprio.

PRæl: 1: Constitue te ad pedes Christi, in forma discipuli audientis Magistrum dicentem. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam.

Præl 2: Pete à Deo gratiam exuendi amoris proprii.

PUNCTUM 1mum.

Quid amor proprius & qui illius Actus?

COnsidera 1mo: quod amor proprius consistat in inclinatione voluntatis, ad proprium bonum appetendum, seu est appretiatio, & æstimatio sui, ex qua homo inclinatur ad solicitè inquirendas commoditates suas in victu, vestitu, habitatione, officiis, functionibus, honore, plausibus, sociis &c. ad fugiendas verò incommoditates, in his omnibus, ad evitandos contemptus, humiliationem sui &c. Si itaq; Religiose desideras exui amore proprio, noli te ipsum appretiare, noli æstimare, quid enim in te pretiô & æstimatione dignum invenies? Vide tuum nihilum, agnosce vilitatem, expende labilitatem? pondera infirmatem? est, unde te contemnas, est, unde odio habeas, non est autem, unde appreties?

Considera 2dò: Actus amoris proprii, cuivis communitati intolerabiles, & execrabiles esse. 1mò: nolle cuiquam subesse aut illi tantùm cui suadet suum commodum, 2dò: in omni labore,

officio, actione, suum intendere ac quærere commodum. 3tiò: velle ab omnibus honorari, & æstimari, videri, laudari, nullumq; contemptum & confusionem sustinere. 4tum: optare otium, & in sua functione supplentes. 5tò: appetere pulchra, curiosa, & honorifica, fugere viliora. 6tò: terrenis inhiare, vanitatibusq; & sensualibus oblectari. 7mò solatia à creaturis emendicare. 8vò: quæ molesta sunt & tribulationem generant impatienter ferre & querulari. 9nò: in omnibus seipsum quærere. Vide & serio expende, quam exosi sunt partus amoris proprii. Examina conscientiam tuam, an in tuis actionibus, & in tentationibus non reperiantur? non quærisné tua commoda? tui æstimationem? Erubesce, propone, seriam adhibere curam, in extirpando ac debellando tuæ salutis hoste.

PUNCTUM 2dum.

Quæ motiva amoris proprii extirpandi?

COnsidera 1mò: amorem proprium esse radicem, & fontem omnium vitiorum, & causam rebellionis passionum hinc, enim procedunt iræ, tristitiæ, tædia, viscosa adhæsio ad Creaturas &c. Nonne justum est, ut Religiosus, omnî studiô extirpet, tam noxiam radicem, amoveat à se tantorum malorum semen?

2dò: Amor proprius impedit cultum Dei, amore enim proprio infascinatus, non attendit ad ea, quæ Deum spectant, sed quærit quæ sua sunt, etiam cum contemptu Dei, cum violatione præceptorum, ac consiliorum ejus. Si tibi cordi est cultus, ac honor Dei, ejura amorem proprium.

3tio: Quia obcæcat hominem, ut non consideret quidnam expediat, ac liceat cogitare, loqui, agere, sed eum præcipitat in omne nefas. Unde S: Paulus 1. Corint: 2. ait: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs.* Et S: Thomas amorem proprium, fontem omnis mali vocabat, ex quo quamdiu fluxerit, nihil aliud, quàm exitium, ac pestis timenda sunt,

4ta

4ta: Quia hominem nunquam ſinit eſſe quietum, ſemper vult eſſe turbatum, conſequenter, reddit eum ineptum, ad omnia bona. Rectè S: Catharina Senenſis dixit *Tantùm quisq; vivit Deo, quantùm moritur ſibi.* Vide utrùm hæc omnia moveant te ad exuendum amorem proprium.

PUNCTUM 3tium.

Quæ media exuendi Amoris proprii?

COnſidera 1mum medium exuendi amoris proprii eſſe contemptum ſui ipſius, ac odium, quidni te odio habeas, cùm nullus capitalior hoſtis tuus eſſe poſsit, quàm tu ipſe tibi. Neq; enim dæmon ipſe tibi nocere poſſet, niſi tu ipſe volueris. Ceſſet propria voluntas, & infernus non erit; docet S: Bernardus.

2dum medium eſt, Perfecta ſui ipſius reſignatio in voluntatem ac diſpoſitionem Divinam, & ſuperiorum, ſive quò ad officia ſive quò ad locum, ſive quò ad Socios, ſive quò ad victum, veſtitum, habitationem, cum bona reflexione in oratione Dominica, illa verba pronuntiando. *Fiat voluntas tua, ſicut in Cælo & in terra.*

3tium medium eſt, Oratio fervens & mortificatio aſsidua quam nobis Sanctus Pater noſter, in omnibus quærendam præſcribit, ſicut enim ferrum ignis calore, & malleorum ictibûs excuſſa rubigine renovatur, ita ferventis orationis, & mortificationis ictibûs aſsiduîs, amoris proprii rubigo excutitur.

4tum Medium eſt, Contemplatio frequens Paſsionis Chriſti, conſtansq; amor Chriſti Crucifixi, & Beatiſsimæ; uterq; enim hic amor omnem profanum ex corde excludit amorem, & odium ſui ipſius perſuadet. Utere hîs mediîs, & omni conatu allabora, ut extirpes vitioſum amorem proprium.

COLLOQUIUM.

CUm Chriſto Cruci affixo, veſtibûs & carne exuto, ac inter dolores agonizante, rogando ut ipſe per ſuam mortem faciat in te

emori

emori amorem proprium, & solo Spiritu Christi, te faciat animari & vivere. *Pater: Ave: Anima Christi.*

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

QUid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terrã, Deus inæternum. Psal: 27. Regi sæculorum immortali, & invisibili soli Deo, honor & gloria 1. Tim: 1.

Tuus sum ego, salvum me fac ab amore proprio Ps: 118. Deus meus, ut jumentum sum apud te, & ego semper tecum Ps: 12.

Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam, in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam Joan: 12. Stipendium amoris proprii mors est, initium omnis mali S: Basil:

Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis. Ad Galat: 5.

PERICULUM 3tium,

Ex Passionibus immortificatis.

DIuturna & ferè continua mortificatione opus est, ut rebelles, & immortificatæ passiones, in suo officio contineantur, & rectæ rationis dominio subjiciantur ne in præceps incautum abripiant hominem. Unde Spiritus S: monet. *Post concupiscentias tuas non eas, si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Eccl: 18. Imprimis autem notitia illarum comparetur, prævideaturq; meditatione, modus eas moderandi.

MEDITATIO

De Passionibus immortificatis.

PRæl: 1. Colloca te coram Christo, tanquam Magistro tuo docente te. Si quis vult venire post me abneget semetipsum & tollat crucem suam.

Præl: 2. Pete à Deo gratiam, compescendi ac mortificandi passiones tuas.

PUN-

PUNCTUM 1mum.

Quid, & quot sunt passiones?

COgita passionem juxta D: Joannem Damascenum, *esse motum sensibilem, seu sensitivum, potentiæ appetitivæ, ob imaginationem boni vel mali.* Cùm enim imaginatio, repræsentat homini, rem aliquam ùt bonam, sed absentem vg excellentiam nominis, divitias, honores, exsurgit in homine passio, quæ vocatur *desiderium*, quando repræsentat eidem homini, rem ùt bonam præsentem, exsurgit passio gaudii, quando repræsentat non nisi ùt bonam sinè reflexione, ad ejus præsentiam, vel absentiam, vg. repræsentat aliquam pulchritudinem; exsurgit passio amoris. E contra; si repræsentetur per imaginationem aliqua res ùt mala, exsurgit passio fugæ, si repræsentetur ùt mala præsens, exsurgit passio tristitiæ. Tandem ad repræsentationem rei malæ, absq; reflexione, ad ejus præsentiam, vel absentiam, exsurgit passio odii. Ex his collige, quòd potentia appetitiva, seu appetitus sensitivus, feratur in res creatas, non prout hæ sunt in se, sed prout eas imaginatio repræsentat, & aprehenduntur esse, proindeq; homo sæpe errat, nisi ejusmodi motus recta ratione gubernet, ac moderetur. Unde S: Basil: in Proverb: monet, *fluctus sunt animi passiones, quibus si virtute occurras, tutus vitæ gubernator existes, sin minùs velut navigium compagibus dissolutum jactatus, in peccatorum pelagus corrues.* Vide utrùm tu non sequaris, tui appetitûs inclinationes & motus? utrùm ad rectæ rationis judicium revoces, omnes naturæ propensiones? utrùm te non abripiant in perversum appetitiones tuæ? invoca auxilium DEI. *Ego egenus, et pauper sum, DEUS adjuva me.* Ingemisce cum S: Paulo. *Infelix homo sum, quis liberabit me, de corpore mortis hujus?* Cogita 2dò appetitum sensitivum duas habere potentias, seu partes, concupiscibilem & irascibilem. In appetitu concupiscibili, sex numeran-

tur paſsiones, amor, odium, deſiderium ſeu concupiſcentia, fuga ſeu abominatio, gaudium ſeu delectatio, dolor ſeu triſtitia. In appetitu verò iraſcibili, ſunt quinq; paſsiones, ſpes, deſperatio, audacia, timor, ira. Expende quænam ex his paſsio, in te prædominetur, quæ te magis conturbet. Adhibe diligentiam, in ea mortificanda. Implora Divinum auxilium ad illius extirpationem.

PUNCTUM 2dum.

Quæ mala & pericula proveniunt, ex paſſionibus immortificatis.

COgita 1mò, nullum eſſe, nullumq; fuiſſe peccatum in hominibus, quod non ex immorificatis paſsionibus proceſſerit. Sic peccatum primorum parentum, ex inordinato deſiderio ſciendi bonum & malum, atq; ex appetitu Divinitatis, quam ſuadebat ſeductor dæmon. *Eritis ſicut Dii.* Peccatum Judæ, proceſsit ex nimio amore, & deſiderio pecuniarum, *fur erat, loculos habebat.* Peccatum David proceſsit ex videndi curioſitate. Peccatum deſertioni 1mæ à DEO vocationis, plerumq; fit, aut ex inordinato amore ſuæ excellentiæ, aut ex amore ſenſualium, & ſic de cæteris. Expende & tu peccata tua & nullum invenies, quod non proceſſerit, ex inordinatis & immortificatis paſsionibus.

Cogita 2dò: quod paſsiones immortificatæ, nunquam hominem quietum eſſe permittant, ſemper enim in ſe ipſo per rebelles paſsiones, turbatur & agitatur, velut fluctus maris, conſtituiturq; in magno periculo, ne dæmon ejus animam poſsideat, & ſibi ſubjiciat. Hinc ſacra ſcriptura ait. *Sicut piſces hamô & aves laqueô comprehenduntur, ſic homo in tempore malo.* Quemadmodum enim piſces faciliùs in turbida aqua capiuntur, & aves tempeſtuoſo àére comprehenduntur, ita & homo quando plus turbatur, faciliùs à dæmone ſubjugatur.

Cogita 3tiò: paſsiones immoderatæ, præſertim amor illici-

torum,

torum, eorumq; desiderium, item timor, tristitia, ira, detrudunt hominem à statu & dignitate Creaturæ rationalis, ac belluis illum assimilant, juxta illud. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Proinde constituunt hominem in eo statu, in quo remedium salutiferum animæ, aut adhiberi nequit, aut difficillimè potest. Conjiciunt hominem in præsens damnationis periculum, perturbatus enim passionibûs immortificatîs, nec cogitare quidquam boni, nec agere valet. Expensîs tantîs malîs ex immortificatione passionum provenientibûs, reflecte te, supra tuas passiones, & vide quæ potissimùm in te vigeat, in quo exorbitet amor, odium, audacia, timor, tristitia, desiderium &c. Erubesce coram DEO, admirare DEI Providentiam, quòd hucusq; non sis consumptus. Deplora statum animæ tuæ. Propone seriam mortificationem passionum tuarum.

PUNCTUM 3tium.

Quæ media moderandi ac mortificandi passiones?

COgita 1mum medium ad mortificandas passiones esse Orationem, quâ imploretur gratia & lumen DEI ad cognoscendam dignitatem DEI, animæq; nostræ, & rerum æternarum æstimabilitatem, rerum verò caducarum, & transeuntium vilitatem, ut eâ cognitione dirigamur in via Domini. Abstrahamus cor, & affectus nostros à voluptatibus, & ibi sint fixa corda nostra, ubi sunt vera gaudia.

Cogita 2dò: quandocunq; passio aliqua commovetur, statim recurratur ad Christum passum, qui in sua passione dedit exemplum, quomodo temperanda sit tristitia, ira, odium &c. ùt *S: Ber: ser: 43. in Can:* ait: Passiones Christi me erigunt, in adversis, in prosperis deprimunt, & inter læta & tristia tutum præbent ubiq; ducatum. Dum ad iram incitaris, dic, quid hæc sunt quæ mihi occurrunt sustinenda, per respectum ad ea, quæ

Christus pro me passus est &c. amor meus Crucifixus est, dum tristis Spiritus te angit, respice Christum in horto mœstum, & audi dicentem: non mea, sed tua fiat voluntas.

Cogita 3tiò: optimum medium est ad mortificandas passiones, si continua adsit vigilantia, ne erumpant, prævideanturq; & evitentur occasiones, in quibus novit quis commoveri suas passiones. Ad hoc sunt examina, horariæ & diurnæ reflexiones &c.

Cogita 4tò: Efficaciter etiam ocurritur immoderatis passionibus per exercitium actuum contrariorum erumpenti passioni. Sic dum excitatur amor alicujus creaturæ profanus, eliciatur actus amoris DEI dicendo *DEUS meus & omnia. Amo te super omnia* vel: Quis ùt DEUS, vel illud Psal: *Quid mihi est in Cælo, & à te quid volui super terram, præter te Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Dum ingruit mæror, dic. Ego autem gaudebo & exultabo in DEO JESU meo. DEUS exultatio mea. Dum mens desperabundîs conturbatur cogitationibûs. In te Domine speravi, non confundar in æternum.

Cogita 5tò: adhibendum & illud medium est ad mortificandas passiones, ut quotiescunq; te per aliquam passionem exerrare adverteris, nunquam id in te impunitum relinquas, assignes tibi pænitentiam juxta qualitatem delicti, vel ut toties percutias pectus, vel visites SSm: Sacram: Beatissimam, vel toties osculum terræ figatur, non tamen in præsentia aliorum, vel tot actus contrariæ virtutis eliciendi. Vide utrùm hucusq; aliquo ex his medio usus fueris. Propone in posterum.

COLLOQUIUM.

INstituatur cum Christo Domino, per omnia passo, rogando ut ille vulneribus suis sanet vulnera nostra, detq; gratiam utendi passionibûs ad animarum nostrarum salutem. O JESU toto corpore lacerate, & in omnibus membris, vulneribûs ac doloribûs re-

plete,

plete. En ego in quo à planta pedis usq; ad verticem capitis non est sanitas, supplico bonitati tuæ. Sana me Domine, & sanabor, erue animam meam, ab inimicis meis, ne perdant me rebelles passiones meæ.

Pater: Ave &c. Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

CIrcumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & cor meum dereliquit me, complaceat tibi, ut eripias me. Domine ad adjuvandum me respice *Psal:* 39. Domine miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi. *Psal:* 40. Exsurgat Deus & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eũ à facie ejus. *Psal:* 67.

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI

Supra Passiones.

COnstitutus sub pedibus Crucifixi, pete ut hanc considerationem, fructuosè peragas, in cognitione & debita passionum moderatione.

I. Cogita primam appetitûs concupiscibilis passionem esse amorem sensibilium. Vide itaq; utrùm ad aliquam creaturam non propendeas amore inordinato? an non adhæreas viscosè alicui amico? an nimium non afficeris famæ? aut honori proprio? aut pecuniis? aut alteri rei creatæ? Vide item quando? & ubi hæc passio maxime exeritur? quæ damna Spiritûs adfert? 1mò enim amor inordinatus impedit cultum Dei. 2dò: impedit profectum in virtute. 3tiò: impedit quietem, ac pacem internam, & externam, quia juxta S: Ignatium Constit: p: 8: est gravissimus & capitalis, omnis ordinis & unionis, hostis. Comprimisne illum contemptu earundem rerum, vel abstractione affectûs ab iisdem rebus, & elevatione ipsius in Deum, dicendo cum Psalte: *Quid mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram, præter te Deus cor-*

 dis

dis mei, & pars mea, Deus inæternum? Habemus Exemplum S: Patris Ignatii, qui omnem amorem inordinatum prorsus à se amandavit ùt Bartolus l. 4. Vit: §. 27. testatur. Et S: Xaverius l: 1. Apoph: 11. S: Borgias omnia contraria amori proprio, & desiderabat & adhibebat, sive in victu, sive in habitatione, sive in Officiis.

II. 2da Passio est desiderium rei futuræ sensibilis. Non experirisne, in te aliqua desideria Dei voluntati & rationi difformia? Quando? & ubi hæc passio notabiliùs exardescit? quem modum adhibes in ea comprimenda? Converte hæc vana desideria, in desiderium videndi Deum, in desiderium perfectionis propriæ, in desiderium gloriæ Divinæ.

III. 3tia Passio gaudium ex aliqua re præsenti. Vide an te oblectet laus hominum, & plausus? an successus rerum temporalium hanc passionem in te non excitet? Reflecte te, quando potissimum hæc passio dominari gestit? quibûs mediîs eam moderaris? Dic potiùs cum Beatissima: *Exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Aut cum Propheta Habacuc: *Ego autem gaudebo in Deo JESU meo.*

Cùm Franciscus Costerus Novitius, proclivis ad risum deferretur ad S: Ignatium, quòd sæpe rideret, vocato ad se Francisco dixit: *Francisce, audio te sæpe ridere.* Costerus demissîs oculîs, expectavit objurgationem. Sanctus verò Pater sic eum allocutus. *Ego dico tibi fili mi, ut rideas & gaudeas in Domino, quia Religiosus nullas habet causas mæstitiæ, multas verò lætitiæ.*

P: Antonius Madridius, ad primam laceræ vestis assumptionem, tanto gaudio imbutus est, ut affirmaret in tota vita nihil sibi jucundius accidisse hist: Soc: p: 2. l: 7.

IV. 4ta Passio, est odium immoderatum rei alicujus v. g. odium personæ, officii, loci, mansionis &c. Vide utrùm non posse-

dit

dit cor tuum? utrùm exteriùs etiam non ostendis odium alterius? Expende utrùm justum sit odisse Imaginem Dei, pretium Sangvinis Christi? Cum majori emolumento facies, si teipsum oderis?

Burgensis quidam cùm odiũ contra nonnullos fovisset, ad mortem, cum pro illo preces persolverentur in Templo, Christus Crucifixus, manus suas retrahens, & auribus inserens, dixit. *Non pepercit non parcam.* Spec: Exem: Ibidem narratur de quadam muliere, odium diutiùs fovente, cui, cum in extremo morbo adferretur viaticum, ac porrigeretur, ad parietem se avertit, dicens. *Sicut me averti ab hominibus, sic Deus se avertet à me, nec unquam misericorditer aspiciet*: atq; miserabiliter exspiravit.

V. 5ta Pasſio est fuga dum quis fugit laborem, confusionem, diffi cultates, contemptum apud homines. Vide an fugienda illa sunt servo Christi, quæ Christus in se suscepit?

VI. 6ta Pasſio est tristitia, de re aliqua afflictiva in præsenti. Vide an moderaris hanc pasſionem? Cogita nihil adimi per tristitiam afflictionis, sed magis augeri, & sanitatem lædi. *Spiritus enim tristis exsiccat ossa.* Cogita potiùs hanc adversitatem venisse de manu Patris amantiſsimi, cui major cura de te, quàm tu illam de teipso habere potes. Cogita dignum te majori afflictione, ob commissa delicta. Cogita hac afflictione majora tibi bona parari à Deo. Tædeat te hujus vitæ, quæ nequit esse sine afflictione. Bellarminus Cardinalis, de seipso fatebatur. Cùm essem Religiosus, nesciebam, quid in vita esset tristitia, factus Cardinalis nescio quid sit lætitia. P: Balthasar Alvarez, dicebat in domo Dei, neminem tristem esse debere: Vit: c: 23. S: Franciscus Seraphicus si quem de suis tristem conspexit, vehementer objurgabat, dicens. Oportet eos, qui mundo, carni, dæmoni, non verò Deo, serviunt, esse tristes, non autem Fratrem Minorem. Lyræ: in Apoph:

VII. In appetitu irascibili 1ma pasſio est ira. Vide ne des

iræ

iræ locum in corde, in ore, fronte, in oculis, aliisq; externis indiciis. Expende qua de causa, & in quibus occasionibus, exardescere incipit in te ira? quomodo illam comprimis? recordarisné JESU mansuetissimi? invocasné ejus auxilium? Recogitasné Apostoli Eph: 4. monitum? *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Usurpa S: Ambrosii Orationem ad Deum, Objice Domine contra tam amarissimum iracundiæ malum, suavissimum sapientiæ tuæ bonum, inquo specialiter animarum nostrarum salus collocatur, cùm per Evangelium dicitur. In patientia vestra possidebitis animas vestras prec: ante Mis: stude ejus mortificationi. Tum quia mortificatio iræ, signum est perfecti viri, immortificatio verò, indispositum ad omnia bona facit, vilissimumq; reddit hominem. Tum quia ira dissimilem Deo & Christo efficit. Tum quia gravissima infert animæ damna & corpori nimiũ nocet, omnibusq; exosũ reddit. Tum quia mortificatio iræ ædificat alios. Sic Joannes Ferdinandus, Amaguntii verba faciens ad populum, quia salivam, in os suum, à quodam Japone conjectam patientissimè suscepit, fuit causa ejus conversionis: hist: Soc: l: 11. 19.

Franciscus Soarez in disputationibus verborum aculeis lacessitus, nullum unquam commoti animi signum dedit bibl: Scrip:

VIII. 2da Passio ejusdem appetitûs est audacia, non prodisne eam repugnando Superioribus audacter? aut inconsultè & præcipitanter, majora tuis viribûs aggrediendo? Nosce teipsum, tuamq; infirmitatem.

IX. 3tia Passio est timor: Vide in quibus occasionibus timor te angit? non omittisne bona opera ob vanum timorem? memor esto JESU in horto paventis. Time Deum & alia minùs timebis, spera in Deo, & dic cum Psalte: Dominus salus mea, quem timebo. Non timebo mala, quoniam tu mecum es.

X. Quarta tandem & quinta passio spes & desperatio. Vide utrùm

utrùm & hæ passiones te non infestent? prævide earum occasiones, pete victoriam à Deo.

PERICULUM 4tum.

Ex Habitibus Vitiosis.

VItiosus habitus, habet se per modum catenæ, quâ illigatas animas dæmon trahit in perniciem, ùt constabit ex infrà dicendis; optimum itaq; consilium Magister ille Spiritûs, Thomas à kempis, omnibus usurpandum de Imit: l: 1. c: 11. præscripsit, dicens: *Resiste in principio inclinationi tuæ, & malam dedisce consuetudinem, nè forte paulatim ad majorem te ducat difficultatem.* & addit rationem infra c: 13. *Quantò enim diutiùs ad resistendum quis torpuerit, tantò in se debilior quotidie fit, & hostis contra eum potentior,* Hinc Maxim: in Ser: de S: Joanne Bapt: canit: *Qui non assuescit virtuti, dum juvenescit, à vitiis nescit discedere, quando senescit.* Si quos igitur vitiosos habitus, in se adverterit Viator Religiosus, non segniter cum iis certamen ineat, ut vincat.

MEDITATIO.

De Habitibus Vitiosis.

PRæl: 1: Imaginare te stare, ante S: Paulum docentem: *Renovamini Spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & Sanctitate veritatis.*

Præl: 2: Pete gratiam renovandi te per expoliationem omnium habituum vitiosorum.

PUNCTUM 1mum.

Quid habitus vitiosus?

COnsidera habitum vitiosum esse quandam facilitatem ex actibus frequentatis vitii alicujus productum, ad similes actus exercendos. Unde quò quis plures actus alicujus vitii ponit, eò faciliùs in eadem vitia labitur, atq; per consuetudinem, causat sibi necessitatem peccandi, ut S: Aug: l. 8. Con: c: 5. confitetur: *ligatus*

eram non ferrô, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me, quippe ex voluntate perversa, facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Et S: Gregorius hom: 31. super Evangelium ait. *Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit, ad rectitudinem conatur, & labitur, quia ubi diu sponte perstitit, & ibi cum noluerit, coacta cedit.* O! duram necessitatem! Verè S: Chrisostomus dixit: Antiqua consuetudo, antiqvus tyrannus. Vide, utrùm & tu, alicujus vitii non contraxeris consuetudinem? Obsta principiis, nam serò medicina paratur, teste S: Augustino, qui, in Psal: 30. ait, vincere consuetudinem, dura est pugna. Clama ad Deum cum Propheta. *Eripe me de luto, ut non infigar, libera me ab aliis, qui oderunt me, & de profundis aquarum.* Psal: 68.

PUNCTUM 2dum.

Quanta damna ex habitibus vitiosis?

CONsidera periculosissimum esse, alicui vitio assuescere, illiusq; habitum contrahere. 1mò: ex eo, quia talis, qui assuevit alicui vitio, possidetur à dæmone, eumq; impellit ad illicita, quando & ubi voluerit, non secus, atq; auceps aviculam filô tenens.

2dò: Ex eo, quia per habitum, seu consuetudinem vitiosam obcæcatur homo in intellectu, ut non præcognoscat, quid agat & agere debeat; obduratur in voluntate, deduciturq; ad infelicem statum impotentiæ, à peccato abstinendi. Ut, Ethnicus licet, Plinius agnovit, dicens: *Desinit remedio esse locus: ubi fuerunt vitia, mores fiunt.* lib: 25. c: 2.

3tiò: Quia per consuetudinem vitiosam incurrit homo præsentissimum damnationis periculum; facilè enim in puncto mortis instigante dæmone, inclinabitur voluntas ad vitium sibi propositum, cui assueverat per vitam.

4tò:

4tò: Quia ùt S: Augustinus in Ench: c: 8: docet peccata quàmvis magna, & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva esse, aut nulla creduntur.

5tò: Quia ait S. Basilius: sicut morbi corporis, inveterati, nonnisi longa & acri curatione sanantur, sic peccata inveterata, diuturnâ patientiâ, assidua oratione & acerrima animi contentione curari oportet.

Exhorresce tanta pericula, in quibus constituit hominem vitiosus habitus. Expende utrùm aliquem non contraxisti? adhibe curam, ut eum cum Dei gratia, absq; dilatione extirpare contendas. Pete auxilium Dei.

PUNCTUM 3tium.

Quæ media extirpandi vitiosos habitus?

COnsidera: 1mum remedium extirpandi vitiosum habitum, est, per cessationem ab actibus ejus vitii perpetrandis. Sic, qui contraxit habitum carpendi famam, vel mentiendi, cesset ab his. &c.

2dum Mediũ est per exercitationem sui, in virtute contraria vitiosæ consuetudini. Sic superbus, multùm de se sentiens, exerceat se in humilitate, in vituperio & contemptu suî. Iracundus, suis potiùs irascatur defectibus, & alienos patienter ferat. &c.

3tium Medium est, per generosam suî victoriam juxta illud Tho: à kem: l: 1. c: 25. de Imit: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.

4tum Medium: frequens, & fervens ad Deum oratio, ejusq; auxilii imploratio; multùm quoq; juvabit, si quis, per sedulam meditationem, inspexerit fœditatem vitii, occasiones illius evitandi prævideri &c. Recurratur item sæpiùs ad Beatissimam juxta consilium S: Bernardi dicentis hom: 2. *Super missus est:* Si insurgant venti tentationum &c. *Si jactaris superbiæ undîs, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Et inferi-*

ùs: in periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat à corde, ut impetres ejus Orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum &c.

5tum Medium est, sincera & cum accuratissima dispositione Confessio facta; sicut enim cibum noxium, ac pestilentem jam bili permixtum, non aliter, quàm per violentum vomitum ejicere possumus, ità inveteratum peccatum, si ab eo nolumus interfici, nisi per Confessionem sinceram, ejici non potest. Expende omnia hæc media, & ad illa diligenter adhibenda, te excita, tum amore Dei, tum desiderio salutis tuæ. Implora Dei auxilium, Beatissimæ patrocinium & Sanctorum Patronorum subsidium.

COLLOQUIUM.

SIt 1mò Ad Christum Crucifixum: O! bone JESU tu dixisti: cùm exaltatus fuero, traham ad me omnia, rogo te per omnes dolores tuos, trahe me ad te, & abstrahe omnes affectus meos, ab omnibus rebus creatis, tibi soli adhæream, te solum amem, in tuî amore vivam, & moriar, qui amore meî dignatus es in Cruce mori. Fiat, quæso, mors tua, mors vitiorum meorum. Et qui nudus in Cruce pendere voluisti, da gratiam expoliandi me omnibûs vitiîs, da, si tibi placet, moralem impeccabilitatem. *Anima Christi.*

2dò: Fiat ad Patrem æternum: O! Pater misericordiarum, Deus meus, qui plasmâsti me, miserere mei. Aufer à me spiritum nequam, & da Spiritum tuum bonum petenti. *Pater noster.*

3tiò: Ad Beatissimam, rogando, ut illa te sub pallio suæ protectionis, defendat ab omni incursu diaboli & vitiorum. *Ave Maria.*

ACTUS EJACULATORII.

VIde humilitatem meam, & laborem meum & dimitte universa delicta mea. *Psal:* 24.

Erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum Domine. *Ps:* 11.

Eripe me de luto, ut non infigar, libera me ab iis, qui oderunt me

me & de profundis aquarum. Non me demergat tempestas, neq; absorbeat me profundum. *Psal:* 68.

PERICULUM 5tum.

Ex Tepiditate.

CUm non dormientibus proveniat Regnum Cælorum, nec otiô & desidiâ torpentibus, beatitudo æternitatis repromittatur, ùt docet S: Leo Ser: de apparit: Ex altera verò parte, vitium tepiditatis, illis potissimùm sit periculosum, qui in stadio virtutis & perfectionis currunt; meritò in ejus extirpationem totis viribus, cuivis Religioso Viatori, incumbendum esset.

MEDITATIO

De Tepiditate.

PRæl: 1. Collocabo me in Conspectu Sanctorum, serventer & hilariter operantium, ac Deo servientium, multosq; labores in Indiis, Anglia, ac Sinis subeuntium.

Præl: 2. Petam gratiam exemplô Patrum nostrorum viam perfectionis serventer decurrendi, & omnem teporem excutiendi.

PUNCTUM 1mum.

Quid Tepiditas seu Acedia?

COnsiderandum, quòd tepiditas sit fastidium, nauseaq; boni Spiritualis, hoc est operum illorum, quæ, ad laudem, & obsequium Dei ordinantur, animæq; salutem & perfectionem promovent, idq; ob laborem, qui in his operibus subeundus esset, ea opera refugit: qui enim cum acedia & tepore laborat, sentit dolorem, ac mærorem, atq; tædium & fastidium sustinet, sive dum incipit agere, sive dum agit aliquid Spirituale v. g. Orationem, meditationem, lectionem, examina, mortificationem, humiliationem, verbi Divini auditionem, colloquium pium &c; atq; acediæ hoc est ingenium: odisse omne bonum Spirituale, fastidire, nauseare. Unde Sancti Patres, tepiditatem comparant cum languore

guore corporis insanabili, & longa tabe; miserum enim reddit, quem afficit, & vitam ejus Spiritualem consumit. Comparant eam cum febri interna, hectica depascente interiora hominis, vigorémq; omnem auferente. Cum gangrena, quæ, si semel invaserit hominem, per totum corpus se diffundit & tandem enecat. Cum lethargo conficiente & perdente hominem, quo laborans certò morietur, nec tamen sentit se mori. Ut verò major hujus vitii horror concipiatur, malitiáq; ejus penetretur, considerandum 1mò: omnes creaturæ, cum delectatione, & inclinatione, ad suum finem, & terminum, ad quem sunt creatæ, tendunt. Sic lapis omniáq; corpora gravia, cum inclinatione tendunt ad ima deorsum. Ignis cum inclinatione tendit sursum, & sic de aliis. Et homo, qui ad hunc nonnisi finem conditus est, ut Deum laudet, amet, illi serviat & salvus fiat, cum fastidio & aversione ad ea tendit. Quanta hæc debet esse naturæ humanæ per peccatum corruptio? & quantus requiritur labor, ut illa rectificetur?

Considerandum 2dò: homo compositus est, ex anima rationali, tanquam parte præstantiore, digniore, honoratiore, & ex corpore, tanquam ex parte viliore, abjectiore; deberet ergo homo, ad illa opera, quæ animam concernunt, promptiùs, hilariùs se conferre & in illorum tractatione contentari magis, quàm in operibus, ad utilitatem corporis spectantibus. Tepiditas verò hunc ordinem pervertit, ut homo posteriora opera, lætus, & avidè prosequatur, illa verò cum fastidio & tædiis peragat.

Considerandum 3tiò: Opera Spiritûs æterna sunt, & æternam felicitatem secum trahunt, Corporis verò peritura; ùt Apostolus monet: Qui seminat in benedictione, de benedictione metet, qui seminat in carne, corruptionem metet. Exhorrescamus itaq; ac detestemur tepiditatem, & ab ea liberari per JESU Christi vulnera petamus.

PUN-

PUNCTUM 2dum.

Quæ damna, & pericula adfert tepiditas?

COnſiderandum: plurima damna & pericula, provenire Religioſo homini à tepiditate. 1mò: Continua vitæ inquietudo, nemo enim, in tædio, triſtitiâ ac nauſea, quietus vivere poteſt. 2dò: Quia tepidus, tentatur frequentiùs, cùm & ipſum faſtidium boni Spiritualis ſit gravis tentatio. 3tiò: Tepidus crebriùs vincitur, imò perpetuò ſuperatur; qui bonum animæ ſemper averſatur, etiam dum illud agit, peccat, quia illud agendo, in ipſa actione nauſeam admittit. 4tò: Tepidus Religioſus ſanatur difficiliùs; nam tepidorum medicina, non eſt, niſi gravis & publica ruina. 5tò: Tepidus Religioſus deſeritur periculoſiùs, nam etſi omnis deſertio Dei, periculoſa eſt; tepidorum tamen periculoſiſsima, quia alii peccatores, ipſa ſui peccati malitia evidenti, facilè poſſunt moveri, & manus aliquando excitanti gratiæ porrigere, ſed tepidus cùm ſibi ſanus eſſe videatur, nec ſtimulos gratiæ recipit, imò ſibi non neceſſarios credit. Quid igitur reſtat, niſi ut deſeratur, & qui ſordeſcit, ſordeſcere adhuc permittatur. 6tò: Tepidus Religioſus moritur timidiùs, quæ enim ſecuritas illi ſit in morte, qui de nullo bono opere, teſte conſcientiâ, ſecurus eſt? Conſcius enim ſibi eſt, quòd laborem effugiebat virtutis, Obſequia Divina nauſeabat, eáq; perfunctoriè peregit, vitam magis politicam & ſuperficialem, quàm verè Religioſam vixit. 7mò: Tepidus Religioſus ſalvatur difficiliùs, quomodo enim facilè ſalvari poteſt, qui ſalutis opera miſerè & negligenter operatus eſt. Hiſce expenſis exhorreſcamus tantorum malorum fontem, accedamus Deumq; omnibus viribus, per merita JESU, Beatiſsimæ & Sanctorum Omnium obſecremus, ut nos à tanto malo liberet, fervorem verò Spiritûs accendat, in cordibus noſtris.

PUN-

PUNCTUM 3tium.

Quæ media excutiendi teporis?

1. MEdium est: frequens beneficiorum Dei consideratio, quibûs nos liberalissimè prævenit & adamavit, tum in ordine naturæ, tum etiam quoád dona supernaturalia. Non fecit taliter alteri nationi, sicut nobis fecit Dominus Deus noster. O! quàm ferventer servirent Deo alii, si hæc dona illis contulisset.

2dum Medium: Sunt meditationes rerum Cælestium, non ex usu, & consuetudine factæ, sed ex desiderio proficiendi, in virtute, meditationes ferventes, in quibus exardescat ignis divini Spiritûs; meditationes fructuosæ, cum reflexionibus practicis supra actiones proprias per proposita efficacissima.

3tium Medium: Serius examinum, & lectionis libri Spiritualis usus. 4tum Medium: Recta in omnibus intentio, & ardens in Deum amor, studiumq; placendi eidem in omnibus. 5tum Medium: Accuratus Eucharistiæ usus, & frequens ejus visitatio. Excitemus nos ad hæc media usurpanda. Petamus gratiam à Deo.

COLLOQUIUM.

O! Deus, qui ignis es inextinguibilis, accende cor meum tepidum ignitâ vî amoris tui, ut tibi deserviam omnibûs diebûs vitæ meæ, & excusso omni tepore, alacri Spiritu curram per vias justificationum tuarum. *Pater: Ave: Anima Christi.*

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

JUstorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usq; ad perfectam diem. Prov: 4.

Solicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino servientes. Rom: 12.

O! quantus fervor omnium Religiosorum, in principio suæ institutionis fuit. Tho: à kem l: 1. c: 25. de Imit.

Quò liberaliores nos erga Deum ostenderimus, eò, ipsum quoq; erga nos liberaliorem experiemur S: Ign: in Const:

Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum & liberator meus *Psal*: 17.

O ignis! qui ſemper ardes & nunquam extingueris, O amor! qui ſemper ferves, & nunquam tepeſcis, accende me, accendar à te totus, ut totus diligam te S: Aug: Sol: c: 19.

C A P U T 3tium.

De Adjumentis & Præſidiis.

Contra Pericula & Impedimenta in Via Sapientiæ.

ADjumenta & Præſidia hic exponenda juvabunt Viatorem Religioſum, tum ad removenda impedimenta oriunda ex peccatis, tum ad evitanda pericula. Præſidium 1mum erit ex aliquot remediis ad evitanda peccata efficacibus. Præſidium 2dum conſiſtet in recogitatione noviſsimorum. Præſidium 3tium in converſione debita ad Deum pænitentiáq; ſalutari.

§. P R I M U S

P R Æ S I D I U M 1mum.

De Remediis ad evitanda peccata efficacibus,

M E D I T A T I O

De Remediis ad evitanda peccata.

PRæl: 1: Statue te in conſpectu Dei dicentis ad te, declina à malo & fac bonum.

Præl 2: Pete gratiam cognoſcendi media, vitandi peccata, & iis conſtanter utendi.

P U N C T U M 1mum.

Memoria præſentiæ Dei efficax medium contra peccata.

COnſidera & perſuade tibi, nullum efficacius remedium, ad evitanda omnia peccata, quàm ſit memoria præſentiæ Dei, ex his rationibus. 1mò: Quia ſi ſecundùm Pſaltem, oblivio Dei præſentis, eſt ſons omnium peccatorum; ità enim loquitur: *Non eſt Deus*

in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ ejus in omni tempore. Certè à contrario memoria præsentiæ Divinæ omnibus peccatis præcludit viam. 2dò: Quia, quod nos juvat ad vincendas tentationes, & ab omni periculo defendit, illud facit, ut evitemus peccata. Atqui nihil est præsentius, ad superandas omnes difficultates & tentationes, effugiendáq; pericula, quàm sit memoria Dei præsentis. Ut Propheta Psal: 22. pronuntiat, ubi ait: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Igitur memoria præsentiæ Dei, multum confert ad evitanda peccata. 3tiò: Constat id ipsum ex authoritate & testimonio SS: Patrum, ex quibus Clemens Alexandrinus lib: 3. de pedag c: 5. ait: *hac solùm ratione fit, ut quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet.* Et S: Hieronymus in c: 24. Ezech: *memoria Dei excludit omnia peccata.* Item S: Augustinus hom: 77. *Opus est, ut ille, qui peccare non vult, præsentem Deum sibi cogitet ubiq;* 4tò Patet ab exemplis. Sic enim Susanna evitavit peccatum, & gravem tentationem, dicens: *Melius est mihi incidere in manus vestras, quàm peccare in Conspectu Domini.* Hôc item mediô S: Paphnutius Thaidem meretricem & S: Ephr: aliam procacem mulierem sanavit. Vide nunc, quàm frequenter in diem, Dei memoriam renoves? Nonné in singulas horas, ad inchoationem saltem actionum notabilium posses esse memor Dei præsentiæ? Erubesce negligentiam tuam. Propone sæpiùs in diem Dei memor vivere, dic: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. vel* cum Psalmista: *Providebam Dominum in conspectu meo semper.*

PUNCTUM 2dum.

Sanctus timor Dei & horror peccati, removet à peccatis.

CONsidera inter alia evitandi peccati media non postremum esse, si quis semper conservet timorem Dei, & horrorem peccati, qui enim aliquid timet, omnem diligentiam & modos congruos adhibet

hibet, ut illud evitet. Unde cum in Hispaniis spargeretur rumor de nostris, qu d utantur herbâ quadam, ad sui conservationem à periculis peccandi. Interrogatus P. Araosius noster illius Regni Provincialis, quænam esset hæc herba? respondit non aliam esse, nisi timorem Dei. Studeas itaq; Religiose, comparare hunc Sanctum timorem Dei, & horrorem peccati, cujus comparandi hi possunt esse modi. 1mò: elicias frequenter actus amoris Dei super omnia; quia hic actus, si sit supernaturalis, non solùm delet omnia, peccata sed etiam continet virtualiter omnem horrorem, & detestationem omnis peccati. 2dò: in singulis præparationibus ad confessionem Sacramentalem, & in quotidianis examinibus imò & meditationibus, obfirma animum contra omne peccatum per protestationem, resolutionémq; ad omnia mala sustinenda & ipsam mortem, quàm ut deliberatò offendas Deum.

3tiò: Imbue mentem cogitatione & reflexione de novissimis, nempe cogitatione mortis, Judicii Dei, Inferni, æternitatis &c. Reflecte te, utrùm hanc cogitationem sæpiùs renoves, utrùm timorem Dei conserves? Resolve te ad hæc, & propone constans studium, ad inducendum hunc timorem in animum tuum.

PUNCTUM 3tium.

Plena sui projectio in Dei & Superiorum dispositionem.

COnsidera optimum & efficacissimum esse medium vitandorum in Religione peccatorum, nihil agere ex suo arbitrio, nullámq; dispositionem, sive quò ád Officia, sive quò ád locum, sive quò ád socios, sive quò ád quascunq; occupationes eligat Religiosus, sed totum se tradat dirigendum Deo, per superiores in omnibus. Nullus enim potest præscire circumstantias occurrentes peccatorum, à quibus nos Deus amovebit, si ex ejus directione vivere voluerimus. *Jacta*, dicit Psaltes, *cogitatum tuum in Deum, & ipse te enutriet*. Et Psal. 90. asseveranter dicit: *Qui habitat in adjutorio*

 altissimi

Altissimi, in protectione Dei Cæli commorabitur, dicet Domino, susceptor meus es, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium. Et inferiùs: *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum.* Credimusné promissionibus Dei? fidimusné sapientiæ ejus, omnia prudentissimè ordinanti, ac bonitati omnia nobis bene volenti?

Abnegemus itaq; propriam voluntatem, & curam de nobis in sinum Dei deponamus. Meliùs ipse de nobis disponet, quàm ipsi nobis voluerimus.

COLLOQUIUM.

SUscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, voluntatem. Accipe corpus & animam meam, quidquid habeo, vel possideo, tu mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum: Quid quid vis, quando vis, ubi vis, quomodo vis, ego volo, quia tu vis, in me, de me, per me, non mea, sed tua sapientissima fiat voluntas.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

UTinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas. *Psal:* 118.

Doce me justificationes tuas, viam justificationum tuarum instrue me. *Psal:* 118.

Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum, & non dominetur meî omnis injustitia. *Psal:* 118.

Miserere meî Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. *Psal:* 6.

§ SECUNDUS
PRÆSIDIUM 2dum.

In Recogitatione Novissimorum.

QUantum sit, & quam efficax præsidium contra omnia peccata, recogitatio

recogitatio novissimorum, edocuit Spiritus Sanctus Eccl. 7. dicens: *In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Proinde nè Religiosus Viator tantô destituatur præsidiô, frequentior illi sit Recogitatio Mortis, Recogitatio Judicii, Recogitatio Purgatorii, Recogitatio inferni, ac tandem Recogitatio Cæli.

Recogitatio Mortis.

Duplici Meditatione hæc Recogitatio concludetur.

1ma EArum exponet, quid sit mori? quæ certitudo mortis? quis modus moriendi? & quid post mortem? 2da explicabit qualitatem mortis, tum Justorum, tum peccatorum. Convenienter hic illud Jobi usurpari potest. *Unde sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viventium. Perditio & mors dixerunt: auribus nostris audivimus famam ejus.* Job: 28.

MEDITATIO 1ma.

De mortis Quidditate, & Circumstantiis.

PRæl: 1. Colloca te in forma moribundi ad pedes Crucifixi.

Præl: 2. Pete gratiam fructuosæ meditationis, ex qua concipias Spiritum perfectè vivendi, & te ad Sanctam mortem parandi,

PUNCTUM 1mum.

Quid sit mori?

COgita 1mò: mori, est deserere, pro omni tempore mundum, in quo vixisti, Patriam, in qua natus es. Urbem, in qua habitâsti, domum, quam incoluisti, triclinium, in quo manducâsti, lectum, in quo quievisti, hortum & campos, in quibus ambulâsti, & omnia locorum spatia, ità, ut in nullo eorum ampliùs consistere valeas. Vide, nè in vita, ulli afficiaris loco, quo expeditior exire possis, serva indifferentiam, nullumq; appetas, nullum à Superioribus evincas manendi locum, sed ibi tantùm consistere libenter velis,

ubi te obedientia collocaverit. Quid enim in morte proderit, in hac vel illa Urbe habitâsse? Religiosi nihil interesse debet huminé an sublimè putrescat?

Cogita 2dò: Mori, est dicere ultimum ac perpetuum vale Parentibus, Fratribus, Consanguineis, amicis, familiaribus ac omnibus hominibus. Nullus tunc erit, qui te comitari, nullus, qui tecum in Regionem umbræ mortis procedere velit. Cur itaq; viscosè adhæres Consanguineis, amicis? Cur propter illos plura, quàm in gratiam Dei facis, nunquid non cum Deo tibi æternùm vivendum? Abstrahe cor tuum ab omnibus Creaturis, & Deum ama super omnia. Audi Thomam à kem: monentem. *Fac nunc tibi amicos, venerando Dei Sanctos, & eorum actus imitando, ut cum defeceris in hac vita, illi te recipiant in æterna tabernacula.*

Cogita 3tiò: Mori, est deserere omnia bona corporis, fortunæ, naturæ, & spoliari omnibûs plausibûs, æstimationibûs, honoribûs, affectibûs, ùt præcinit Job: *Nudus in hunc mundum venisti, nudus exibis.* Peribunt tunc simul & semel omnes voluptates, deliciæ, convivia, spectacula, ludi, peribunt omnia, quæ oculos oblectant, quæ aures suaviter mulçent, quæ nares opere recreant, quæ palato sapore blandiuntur, quæ tactum molliter afficiunt. Et quid hæc omnia oblectamenta, juvabunt morientem? quid juvabit multa vidisse? audiisse? in deliciis vixisse? dum ex hoc angustiari magis oportebit in morte. Bene Thomas à kempis docet: *Disce nunc mori mundo, ut tunc incipias vivere cum Christo, disce nunc omnia contemnere, ut tunc possis liberè ad Christum pergere.*

PUNCTUM 2dum.

De Certitudine & incertitudine mortis.

COgita 1mò: nihil certius ac infallibilius esse, quàm sit mors. Illa omnia, quæ tibi disponis in futurum, sive circa successum

studiorum

studiorum, sive circa Officia, sive circa locum mansionis, sive circa gratias humanas, omnino incerta sunt & fallibilia. Nonnè disponebat ille Evangelicus dives, bona sua in plures annos, dicens: *Anima mea, habes multa bona in plures annos.* Et audiît: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam &c.* Incerta item sunt tua desideria, tuæ spes, hoc certissimum, quia morieris. Et tu omnes curas ad alia incerta convertis, & mortis immemor vivis.

Cogita 2dò: Certissimum quidem est, quòd tu morieris & DEUS scit annum, mensem, diem, horam, momentum, quo tu exibis de hac vita. Scit item locum, modum, & omnes circumstantias mortis tuæ. Sed tibi hæc occulta esse, & te incertum de his omnibus, relinquere voluit, ut semper & in omni loco, in omni occupatione vigiles in adventum Domini. Vide in tanto negotio, nè obdormias; & siquidem ignoras diem, horam, locum, modum mortis tuæ, semper paratus esto, & taliter vive, ut nunquam te imparatum mors inveniat. Et quæ est præparatio tua? nec blandire tibi. Voluit DEUS, ut lateret nos hora mortis, quo sic viveremus, tanquam quotidie morituri, ideo enim latet ultimus dies, ut observentur omnes dies. Hodie ergo te vitam Religiosam inchoâsse cogita, hodie quoq; finiturum, & juxta hæc vivere propone. O! Domine toties me peccantem, & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me. Da Domine gratiam, ut semper & ubiq; vigilem inveniat me hora mortis.

PUNCTUM 3tium.

Varius moriendi modus hominum.

COnsiderandum 1mò: alii moriuntur bene instructi Sacramentis, alii absq; iisdem decedunt. Et tu quid tibi promittis? Cum talinè dispositione ad Sacramenta accedis, ut merearis, nè sine illis mortem oppetas? Expende, quas dispositiones, tibi providisti? vel nunc saltem in his Collectionibus providere debes? ut quàm devotissimè Sacramenta suscipias. Con-

Considerandum 2dò: aliqui moriuntur in præsentia Sacerdotis, imò & plurium Religiosorum pro se orantium, & se tunc in illo puncto juvantium, alii decedunt destituti hoc beneficio; tu quid speras? Itané observas Sacerdotes, & alios Correligiosos? ut tibi illos DEUS, pro illa hora provideat? Vide, ut cum omnibus reverentissimè procedas, nulli te molestum facias, & DEUS hanc tibi præstabit gratiam, ut multos protunc invenias intercessores.

Considerandum 3tiò: aliqui moriuntur in exercitio variorum affectuum, fidei, spei, charitatis, doloris, gratiarum actionis, plenissimæ resignationis in Divinam voluntatem, timoris DEI, ardentissimi desiderii videndi Deum, abrenuntiationis omnibus creaturis, & earum affectibus, humiliationis suî, invocationis Beatissimæ & Sanctorum. Alii decedunt absq; talibus affectibus. Tu quid tibi promittis? habesné dispositos affectus in morte eliciendos? usurpasné illós frequentiùs, ut sic tempestivè assuescas sanctè mori. Adest nunc tempus in Collectionibus, ut hæc provideas, & ordines in futurum.

PUNCTUM 4tum.

Quid cum homine post mortem?

COgita 1mò: vix morietur Religiosus homo, divulgabitur mors illius partim per sonum campanarum, partim per indictionem suffragiorum. Et hunc rumorem audiendo viventes rari erunt, qui præter vanam, & inutilem admirationem bene precabuntur defuncto, dicentq;: *Requiescat in pace.* Suffragia etiam, si quæ erunt, aut perfunctoriè absolventur, sicut & nos solemus, aut omittentur. Disce ergo ô homo Religiose, non fidere in vita amicis, tuam ipse sedulò opereris salutem. Si enim tu ipse negliges, quis eam diligentiùs curare poterit. Rectè Thomas à Kempis monet: *Noli confidere super amicos & proximos, nec in*

futurum

futurùm tuam differas salutem, quia citiùs obliviscentur tui homines, quàm æstimas, meliùs est nunc tempestivè prævidere, & aliquid boni præmittere, quàm super aliorum auxilio sperare.

Cogita 2dò: etiam amicissimi, & familiarissimi hominum, horrebunt cadaver demortui, & tanquam fætidum, ejici domô curabunt. En huc deveniunt illæ familiaritates, illi plausus, adulationes, æstimationes. O vanitas vanitatum! Contemne omnia tempestivè. Quære in Cælo veros amicos, & constantes, qui te nec in morte, nec post mortem deserent.

Cogita 3tiò: Jam tunc homo neq; pedibûs uti poterit ad ambulandum, neq; oculîs ad videndum, nec ullo sensu ad operationes eorum, aliênîs humerîs inferetur sepulchro. Dum itaq; tempus suppetit, benè utendum est sensibûs. Vide quomodo illîs utaris?

Cogita 4tò: Sepelietur corpus, & saxô obturabitur, non ampliùs, nisi ad judicium DEI surrecturum, simul autem sepelietur & memoria demortui, vix enim aliquis ejus memoriam, præsertim in sacrificiis, ac Orationibus habebit. Et hoc minus est; illud apprehensione dignum: in cujus æternitatis portu consistet anima tua, dum egredietur è corpore? Felixné an infelix æternitas illam suscipiet? O æternitas! o anima! cur te negligimus?

COLLOQUIUM.

CUm Christo Crucifixo, moriente, rogando, ut ille morte sua sanctificet mortem nostram, ut per sui agonis acerbitatem, repleat nos dulcedine sua, in instanti mortis nostræ.

Pater; Ave &c. Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?
Putredini dixi: Pater meus es, Mater mea, & Soror mea vermibus. *Job;* 17.

Nudus egressus sum, de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. *Job*: 1.
Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. *S: Hiero*:
Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. *Psal*: 54.

MEDITATIO 2da.
EX RECOGITATIONE MORTIS.

De Qualitate mortis, tum Justorum, tum peccatorum.

PRæl: 1: Constitutio loci, in medio, Sanctè, & malè morientium.
Præl: 2: Petenda gratia, pretiosæ in Conspectu DEI mortis.

PUNCTUM 1mum.

Pretiosa mors Sanctorum. Psal: 115.

COgita 1mò: quòd pretium mortis Sanctorum oriatur imprimis ex parte DEI. Tum quia per illorum mortem, completur illa altitudo divitiarum Sapientiæ DEI, in coördinanda serie prædestinationis Sanctorum. Sperasne istud pretium mortis tuæ? Examina opera, si illud tibi promittunt, & observa S: Petri doctrinam Ep: 2: c: 1: *Fratres satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem faciatis.* Tum quia hæc Sanctorum mors, empta est infinitô pretiô sangvinis Christi. Quomodo hoc pretium sangvinis applicas tibi, in usu Sacramentorum? Cura, ut ex imagine mortis Christi, derivetur etiam pretium in mortem tuam. Tum quia Sanctis, de thesauris donorum suorum providet DEUS auxilia efficacia, quibûs juventur, & ad perseverentiam deducantur. Non optasne & tu tibi hæc auxilia in morte? Tum deniq; sæpe in eorum solatium mittit Sanctos suos, & Angelos, imò quandoq; & ipse Angelorum Dominus assistit moribundis. Quis tam pretiosam mortem non desiderabit? vis illam obtinere ô Religiose? humilia te nunc, & esto vilis in

oculis

oculis tuis, nec refugias vilificari ab omnibus, & in omnibus; sic enim pretiosior eris coram DEO.

Cogita 2dò: Oriri hoc pretium mortis, ex lucro, quod obtinent Sancti per mortem suam. Tum quia, per eam intrant ad veram vitam, & quidem æternam, confirmati in gratia omnî pretiô majore. Desiderasné de hac, transire ad vitam æternam? Quid hucusq; pro ea obtinenda fecisti? tum quia, per illam inveniunt requiem à suis laboribus, & securitatem: Cessant enim tunc pericula peccandi, cessat rebellio carnis, cessant inimicorum insidiæ. Tum deniq;, per hanc mortem introëunt in æternitatem omnium bonorum. Hæc omnia lucra, in morte Religiose habebis, si te nunc pro Christo perdideris, si præsentis vitæ illecebras, mundi & carnis commoda, arbitratus fueris ùt stercora. Resolve te ad hæc omnia, & firmiter servanda propone. Noli modò quærere quietem, & otium, ut in felici æternitate, requiescas suaviùs & gloriosiùs.

Cogita 3tiò: Oriri hoc pretium mortis, ex multis meritis, & virtutum ornamentis, quæ, tunc, Sancti, ex hac vita transferunt in æternam. Omnia enim alia peribunt, quæ & ipsi contempserunt, & sola opera eorum gloriosa, sequentur eos. Hæc cura Religiose, ut facias tuam mortem pretiosam. Pete à DEO: Moriatur anima mea Domine, morte justorum, & fiant novissima mea, horum similia &c:

PUNCTUM 2dum.

Mors peccatorum pessima. Psal: 33.

COgita 1mò: pessimam mortem peccatorum, ex ipsa morte. Tum quia, per illam peccatores spoliantur omnî bonô, tum naturalî, tum supernaturalî, tum hujus, tum alterius vitæ. Tum quia, coguntur deserere omnia solatia illa, ob quæ Deum relinquunt. Tum quia, vermis conscientiæ, tunc potissimum eas ex-

 cedet.

edet. Tum quia, dæmonum aspectus, prædæ inhiantium, & scelera totius vitæ exprobrantium, eos mortiferè terrebit. Tum quia, metus pœnarum imminentium, eos enecabit. Nè tali morte Religiose moriaris, eduxit te DEUS ex mundo nequam, de periculis peccatorum. Vide itaq;, nè in statu mortuorum mundo, vivat in te mundus, & tu moribûs mundanîs vivas mundo, facilè enim Deus eradicabit te de loco sancto, & ipsa Dei dona, erunt Carnificina tuî. Time, & cum timore operare salutem tuam.

Cogita 2dò: mortem impiorum pessimam esse ex eo, quia per eam ultimatò projicit eos Deus à facie sua; hoc malum, est super omne malum. Unde deprecatur David: *Nè projicias me à facie tua*. Psal: 50. & 26. *Nè avertas faciem tuam à me, & nè declines in ira, à servo tuo*. Ut evadas & tu tantum malum, provideas Deum in conspectu tuo semper.

Cogita 3tiò: ex eo quoq; pessimam esse mortem peccatorum, quia est inchoatio pessimæ æternitatis, tamdiu non finiendæ, quamdiu Deus, erit Deus; malum est carere bonô creatô, sed pessimum carere in æternum; malum est à Deo projici, sed pessimum, projici in æternum; malum est pænas subire graves, sed pessimum, subire in æternum, malum est, excludi à Cælo, sed pessimum excludi in æternum. Quorum omnium quia mors peccatorum, inchoatio est, ideo pessima est. Tali morte morientur, qui mundanîs & politicîs, sua quærentibûs, & non æternîs principiîs ac rationibûs reguntur & vivunt. Vide, de quorum numero sis, & proponenda propone.

PUNCTUM 3tium.

Qualis tua mors?

COgita 1mò: qualem tua vita promittit tibi mortem? mererisné mortem sanctorum pretiosam? quod ei pretium per tuas actiones addis? Erubesce, Deplora dies vitæ tuæ malos. E-

lue

lue lacrymîs peccata. Converte totum cor ad Deum & salutem procurandam.

Cogita 2dò: Puniri plerumq; Religiosos à Deo in morte, per hoc, ut, sicut salutem suam in vita Religiosa, negligenter procurabant, & sicut non erant ordinati in vita, parî modô sinè cura salutis seria, disordinatè moriantur. Sicut negligenter orabant in vita, ità negligenter orent in morte. Mors enim, est umbra vitæ. Vis Religiose in morte totus orans inveniri, & anhelans ad DEum, in vita iis assuescas; vis reperiri absq; peccato, cave illud in vita.

Cogita 3tiò: Religiosos, qui in Religione turbulentè vivunt, suntq; graves, & molesti superioribus, æqualibus, & inferioribus, qui neq; ipsi pacati vivunt, nec alios in pace vivere sinunt, puniri in morte, ut vel extra domum Religiosam, desolatissimi moriantur, vel morte turbulenta & periculosa, ut non tam decedant, quàm exturbentur de vita. Time pænam hanc Religiose, sed magis cave culpam, vive pacatus cum omnibus, ut requiem æternam consequaris.

COLLOQUIUM.

CUm Christo Crucifixo. In manibus tuis Domine sortes meæ. Et præsertim ultima illa sors & alea, quæ jacietur de æternitate mea. Miserere ergo tunc mei Domine. In manus tuas Domine commendo Spiritum meum! *Pater: Ave: Anima Christi.*

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

MOriatur anima mea, morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. Balaam: Num: 23.

Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis benedicetur. Eccl: 1.

Pretiosa in Conspectu Domini mors Sanctorum ejus. *Psal:* 115.

Non potest malè mori, qui bene vixerit, & vix bene moritur, qui malè vixerit. S: Aug:

Nihil sic revocat à peccato, quàm frequens mortis meditatio. S: Aug:
Nemo sibi vivit, & nemo sibi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Deo morimur, Rom: 14.
Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Phil: 1.

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI

Supra examen quotidianum.

Positus ad Pedes Crucifixi, pete gratiam fructuosæ Considerationis.

1. DUplex est examen, unum generale, in quo examinatur conscientia, ex omnibus defectibus, in singulis diei actionibus contingere solitis. Alterum particulare, quod circa aliquod particulare vitium extirpandum, versatur. Habesné in usu utrumq; istud Examen? Et tamen hac viâ, posset evitari districtum Dei judicium, juxta illud 1. Cor: 11. *Quòdsi nosmet ipsos dijudicaremus, non utiq; judicaremur?* Certus item esses, quòd satisfacias tuæ gravi obligationi, quâ urgeris, ut tendas ad perfectionem. P: Petrus Faber, primus Sancti Ignatii Socius, examen vocabat Confessionem Spiritualem. De quo etiam Propheta, videtur enuntiâsse, Psal: 115. *Beati, qui faciunt judicium, & justitiam omni tempore.*

2. Distribuisné tibi examen generale in quinq; puncta? in quorum 1mo: deberet fieri accurata gratiarum actio, pro beneficiis à Deo acceptis, illorumq; recognitio, & quidem particulatim. In 2do, Petitio luminis, ad peccata cognoscenda, & deflenda, quod, tantò ardentiùs faciendum esset, quantò nobis clariùs constat, quòd minùs luminis habeamus, ad proprias culpas perspiciendas, quàm ad alienas. In 3tiò: puncto: exigenda est à se ipso ratio, cogitationum, verborum, ac operum, singulas horas diei, & actiones, sedula reflexione percurrendo. Monet autem S: Laurentius Justinianus. *Quisquis, virtutum amator est, suî diligens inquisitor sit.* In 4to: dolor de peccatis commissis, eliciendus. In 5to: firmum propositum concipiatur.

3. Quam in his omnibus adhibes diligentiam? quomodo defectus commissos revocas in memoriam? advertisné statim ad occasiones, & circumstantias singulorum, præsertim notabilium defectuum? ut eas in posterum efficaciùs devites? Quantum temporis tribuis excitando in te dolori, & odio peccatorum? proponisné tibi motiva & incitamenta ad fructuosiùs faciendum? Prævidesné remedia vitandorum defectuum, præcipuè graviorum? Injungisné tibi pænam pro defectibus? eluisné illos in sangvine & satisfactionibus Christi.

4. Examinasné etiam motus animi interiores, quibûs mens per diem movebatur? discutisné intentiones singulorum operum tuorum? S. Ignatius, ùt refert Rib. l. 5. Vit. c. 1 singulîs horîs, animum colligere consueverat, ac sepositîs curîs, examine conscientiam discutiebat. Eodem studio fervebat S. Xaverius, sæpiùs accuratissimè perscrutans, intimos animi recessus, ùtq; id ipsum alii in praxi haberent, hortabatur.

5. Mutasné modos faciendi examen, ut tædia evites? Nunc quinque illa puncta, applicando ad quinq; Christi vulnera: Ad vulnus dextræ manus, gratias agendo, quòd te hîsce manibûs plasmaverit, vulneribus redemerit, aperiens manum, benedictionibûs repleverit, & tanquam de fonte omnium gratiarum, in te tot dona effuderit. Ad vulnus manus sinistræ, tanquam ad solem illuminantem omnem hominem, in hunc mundum venientem, petendo lumen. Ad vulnus lateris, tanquam ad speculum, perspiciendo defectus proprios. Ad vulnus dextri pedis, dolorem; ad vulnus sinistri pedis, propositum eliciendo, & cum Magdalena pænitentiam agendo. Nunc item te in Tribunali Dei statuendo, & ibi audiendo, tum beneficia tibi præstita enumerari, tum tuam ingratitudinem ob tot defectus redargui. Nunc, examen faciendo per modum Confessionis, coram Deo, Beatissima, ac Sancto Angelo

Custode

Custode. Tandemq; juxta exigentiam circustantiarum, temporis, vel festi, alium & alium modum formando.

6. Observasné S: Ignatii Regulas, & industrias in eum finem præscriptas? Insistisné in actuali disquisitione plus dolori & emendationis proposito, quàm discussioni defectuum? cùm totus examinis fructus, in emendatione morum consistat? ad quem dolor serius, propositum efficax, plùs, quàm omnes aliæ industriæ conducunt.

7. Non retraherisné à Constantia hujus exercitii? & non abjicisné animum, dum adverteris te sæpius in eosdem defectus recidere?

Quantum ad Examen Particulare.

8. Nôstine ejus puncta? 1mum est, ut manè, serium propositum concipias, vitandi aliquem certum defectum, aut virtutem exercendi. 2dum, ut quoties te in eum defectum labi adverteris, doleas de lapsu, pectori manu admota. 3tium, ut destinato tempore numerum lapsuum examines, & adnotes. 4tum, ut diem cum die, hebdomadam cum hebdomade, conferas. 5tum, ut pænitentiam pro numero lapsuum, tibi injungas.

Observasné hæc omnia in examine particulari?

9. Æstimasné tam efficacissimum medium, ad plantandas virtutes, & extirpanda vitia? & habesné tempus determinatum constanter hoc examine utendi? V: Berchmans aiebat, nullum, examine particulari præstantius esse remedium vitiis exscindendis, aut virtutibus acquirendis. Unde Joannes Ortunus, usq; ad diem præviam morti, id ipsum adhibebat. Et Joannes de Cannas, reliquit libellum, in quo à triginta annis, accuratissimè, annotata erat materia pro examine particulari.

RECOGITATIO JUDICIORUM.

SIquidem duplex judicium, unumquemq; mortalium expectat, nempe particulare, in quo singuli seorsim judicabuntur, & universale

niversale, in quo omnium simul opera examinabuntur. De singulis, separatæ procedent Meditationes.

MEDITATIO 1ma.

De Judicio Dei particulari.

PRæl: 1. Collocatio loci in Conspectu severi Judicis.

Præl: 2. Petenda gratia concipiendi timoris Dei Judiciorum, quo impellamur ad perfectiorem vitam.

PUNCTUM 1mum.

Timenda sunt judicia Dei.

IMprimis enim hunc timorem incutit nobis sacra Scriptura, pluribûs locis, tremendum judicium Dei prædicans. Sic illud: *tremendum est incidere in manus Dei viventis.* Item Psaltes ait; *Domine, nè in furore tuo arguas me, neq; in ira tua, corripias me &c:* 2dò: Eundem timorem Judiciorum Dei, efficaciter nobis persuadere potest, circumstantia personæ judicantis. Ille enim qui judicaturus est, est Omniscius; proinde nihil eum latere potest, nihil coram illo occultari. Est item Omnipotens, qui non solùm corpus potest occidere, sed etiam animam mittere in gehennam; & hunc timere jubet Christus. Deinde, est Justissimus, qui nullo respectu ducitur, nulla supplicatione movetur, nec ullo modo corrumpi potest; insuper est Altissimus, ac supremus Judex, à quo, non datur appellatio.

Tandem. est æternus, ejusq; decreta semel prolata, nunquam sunt mutabilia. Quis non timeat te ô Judex tremendæ Majestatis! 3tiò: Idem nobis suadere potest, circumstantia personæ judicandæ, quæ est creatura vilissima, multis peccatis obnoxia, nullius boni ferax &c: 4tò: Exempla magnorum Sanctorum, ad eum timorem nos provocare poterunt. Si enim columnæ Cæli contremiscunt, quid nos vacuas arundines agere non expediet? Sic S: Hieronymus, semper sive vigilaret, sive dormiret, sive quid-

piam aliud ageret; concutiebatur timore Judiciorum Dei, videbaturq; sibi audire illam feralem tubam: *Surgite mortui ad Judicium.* Item S: Hilarion, cùm moreretur, sic animam suam alloquens perhibetur: *Anima mea, septuaginta annîs Deo servivisti, & adhuc egredi times?* Timuerunt & alii Sancti. Ergoné nos peccatores securi vivemus? Concipiamus itaq; timorem, & toti contremiscamus coram Deo, cui nota sunt omnia peccata nostra, & vilitates nostræ.

PUNCTUM 2dum.

Quæ materia judicanda?

IMprimis, omnia peccata, sive cogitationum, sive oris, sive operum, sive omissionum facta in tota vita, proferentur in medium, & de illis judicabitur, nisi illa aboleverimus per seriam pænitentiam. 2dò: Omnia dona & talenta, nobis à Deo concessa, omnes gratiæ excitantes &c: omnes dotes tum naturales, tum supernaturales, omnes sensus & potentiæ corporis & animæ, erunt materia Judicii Divini, examinabitq; Deus, quomodo singulîs usi sumus? quæ lucra meritorum per singula collegimus? O! quàm gravissimùm erit ad hæc omnia respondere. 3tiò: Examinabitur usus Sacramentorum; quanam præparatione, quo fervore, quâ gratiarum actione, adhibitus est? 4tò: etiam omnes justitiæ nostræ vocabuntur in judicium; juxta illud: *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* O! quàm imperfecta, quàm multîs scatentia defectibûs, perversîs depravata intentionibûs, tunc apparebunt opera nostra! 5tò: totius vitæ nostræ tempus adducetur in judicium; juxta illud: *Vocabo adversùm te tempus* Thren: 1. Ex singulis momentis rationem reddere debebimus, quomodo illa & in quibus operibus collocavimus? quot otiosè consumpsimus? vanitati dicavimus? &c: Hæc considerando, quis non contremiscat? quis non paveat? Confige Domine timore tuo carnes meas, ut timeam à judiciis tuis.

PUN-

PUNCTUM 3tium.

Quis modus facilitandi, & evadendi districtum Dei Judicium?

PRimum nobis modum proponit Christus in Evangelio, qui nec falli, nec fallere potest; ubi dicit: *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini; dimittite, & dimittetur vobis.* Tu ergo ô homo! nullum unquam judices, nullum condemnes, nullius intentiones discutias & examines, nullius sermonem & actiones, in malum sensum detorqueas, nullum censures, tibi ipsi attende, utpote tu de teipso responsurus Deo, si vis evadere ultionem Dei. 2dum modum proponit nobis Apostolus; ubi dicit: *Si nosmetipsos dijudicaverimus, non utiq; judicaremur?* Habet quisq; tot commoditates & occasiones, seipsum judicandi; nempe bina in diem examina, præparationes ad Confessiones &c: modò id cum omni diligentia, ùt S: Pater monet, quisq; exequatur. 3tius Modus, est frequens contritio, ac dolor de peccatis etiam Confessionis. 4tus: est balneatio suî, suarumq; actionum in Sangvine Christi, lacrymisq; omnium pænitentium, & oblatio meritorum, satisfactionumq; Christi, pro suis delictis. 5tus: Patienter, hilariter, fortiter, omnia adversa, & difficultates, in tota vita contingentes, sinè querelis, sine murmuratione, perferendo. 6tus: Modus, accuratissimus Sacramentorum usus. Vide jam, utrùm hîsce mediis usus fueris? in posterum quomodo uti debeas? dispone.

COLLOQUIUM.

CUm Christo Judice rogando illum, per iniqua, quibus ille condemnatus est, judicia, ut misereatur nostri in suo Judicio. Júste Judex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis. *Pater: Ave &c. Anima Christi.*

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui. *Ps:* 118.

Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus?
Quem Patronum rogaturus?
Cùm vix justus, sit securus?

Judicabit Orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate *Psal*: 47.

Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in Conspectu tuo, omnis vivens. *Psal*: 142.

Si nos ipsos dijudicaremus, non utiq; judicaremur? 1: *Cor*: 11.

Si iniquitates observaveris Domine, quis sustinebit? *Psal*: 129.

Ex Recogitatione Judiciorum.
MEDITATIO 2da.
De Judicio Universali.

PRæl: 1. Imaginare cum S: Hieronymo; quòd audias feralem tubam, excitantem omnes ad Judicium: *Surgite ad Judicium*.

Præl: 2. Pete gratiam fructuosæ Meditationis de Judicio, & concipiendi timorem Divinæ Justitiæ.

PUNCTUM 1mum.
Præcedentia immediatè Judicium universale.

COnsidera præcipua ex iis, quæ immediatè præcedent Judicium universale. 1mò: Signa erunt in Cælo & elementis, sol enim & luna obscurabuntur, àërem furiosæ tempestates conturbabunt, fulgura, tonitrua, procellæ, venti perstrepent. In mari sonitus fluctuum personabit, terra motibûs concutietur, subvertentur urbes, homines arescent præ timore. Igne exurentur Palatia, Civitates, Pagi, Sylvæ & omnia. Quis ad hæc non contremiscat? quis non paveat? 2dò: ad sonum tubæ aperientur monumenta,

menta, mortui resurgent, sua corpora resumendo; quid putas, quid anima damnati, in assumendo suo corpore enormissimo, cui in vita indulgebat, loquetur? certè maledicet illi: O! corpus maledictum, propter tuam ego sensualitatem, oblectationem, commoditates, fœditates, damnata sum! Pereat illa dies & nox, quâ in utero Matris formabaris! Utinam extinctus fuissem, antequam essem! &c. Jam verò anima justi benedicet Deum: Sit benedictus Deus, qui te mihi associavit, ad colligenda merita, per mortificationes, vigilias, jejunia! &c. 3tiò: Apparebit signum Crucis, ad cujus conspectum clamabunt damnati: *Montes cadite super nos, & colles operite nos.* Justi autem: O! Crux ave, spes unica! 4tò: Veniet Christus cum Majestate, cui occurrent justi, damnati autem frement præ invidia; dicentes: *Nos stulti, vitam illorum æstimabamus insaniam &c. Et ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei.* Et ubi illa superbia nostra, divitiæ, oblectationes, natales &c? transierunt omnia. Vide, ex quorum numero velles esse, & in quorum numero reponit te vita tua! Age seriò pænitentiam. Contemne omnia transitura. Desidera Cælestia & æterna.

PUNCTUM 2dum.

Quale Judicium universale?

COnsidera præcipua ex iis, quæ agentur in judicio. 1mò: Qui propter Christum omnia reliquerunt, & eum secuti sunt, sedebunt judicantes alios; ô quanta felicitas Religiosorum! 2dò: manifestabuntur omnia peccata toti mundo; ô quanta dementia nolentis confiteri peccata! 3tiò, Separabuntur justi ab injustis, seu agni ab hædis, & tu Religiose in qua parte stabis? Non potuit se continere à lacrymis V: P: Młodźianowski, consistens in valle Josaphat, & hæc cogitans, ùt innuit in sua peregrinatione. 4tò: Tandem feretur decretum tota æternitate immutabile, ad justos quidem in hanc formam: *Venite benedicti Patris mei, possidete*

Regnum &c. injustos verò: *Discedite à me maledicti, in ignem æternum:* Ubi expende singula verba utriusq; sententiæ: Vos, qui paruistis Vocationi meæ, venite ad possessionem Regni, vos qui tota aviditate currebatis ad malum, discedite. Cogita, quam tu audies sententiam? Timeo Domine rejici à te in æternum, ideo, Juste Judex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis.

PUNCTUM 3tium.

Quæ post decretoriam sententiam?

COnsidera 1mò: Evangelii Verba: *Et ibunt hi in supplicum æternum, Justi autem in vitam æternam.* Expende imprimis: ibunt, idest nunquam perventuri ad finem suæ infelicitatis. Ibunt, nunquam redituri ad Deum, ad Cælum, ad Sanctos. Ibunt, idest nunquam cessabunt progredi in pænis æternis. 2dò: Expende: hi, idest illi, qui se indignos fecerunt omni nomine. 3tiò: In supplicium æternum, pro momentaneis vanitatibus, voluptatibus &c: Similiter expende, quòd justi pro exiguis laboribus, pro victoria suî brevissima &c. invitentur ad possessionem Regni Cælestis.

Considera 2dò: Quô animô, quibûs ejulatibûs damnati separabuntur a justis? quibûs oculîs spectabunt amici, Magistri, Parentes, Religiosi, suos amicos, discipulos, filios, conreligiosos ferri in Cælum, & se trahi ad inferos? O Religiose! dum vita suppetit, contemne omnia terrena, age pro Deo & Cælo, nè te serò pæniteat!

COLLOQUIUM cum CHRISTO.

O Christe JESU! per illa judicia, quibus apud Caipham & Pilatum judicari, & condemnari pro me, voluisti, miserere meî. Cùm veneris judicare, noli me condemnare.

Pater: Ave: &c: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

OMnes stabimus ante Tribunal Christi. Itàq; unusquisq; nostrûm, pro se rationem reddet Deo. Rom: 14.

Annuntiabunt Cæli justitiam ejus, quoniam DEUS Judex est. *Psal: 49.*

Lacrymosa dies illa,
Quâ resurget ex favilla;
Judicandus homo reus,
Huic ergo parce DEUS!

Domine, dum veneris judicare, noli me condemnare. *Job: 10.* Quid faciam, cùm surrexerit ad Judicium DEUS? & cum quæsierit, quid respondebo illi? *Job: 31.*

RECOGITATIO PURGATORII.

POtisimùm recogitanda est gravitas pænarum Purgatorii, ut ex illa inferamus, quanta sit malitia peccati venialis. Adinveniendus item aliquis modus juvandi animas purgatorii, & medium, illud evitandi. Sit igitur.

MEDITATIO

De Purgatorio.

PRæl: 1. Colloca te coram Animabus purgatorii, inter ignes purgatorii, & tormenta, ejulantibus & clamantibus. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei!*

Præl: 2: Petenda gratia fructuosæ Meditationis de pænis purgatorii.

PUNCTUM 1mum.

Gravitas pænarum Purgatorii.

PRæmisso actu Fidei de purgatorio, considera gravitatem pænarum purgatorii. 1mò: ex eo, quia animæ patiuntur illas, separatæ à visione DEI, Societate Christi ac Beatissimæ, & Sanctorum omnium contubernio. Grave est filio amanti Patrem, etiam ad breve tempus à Patre, grave amico, à sui amici præsentia separari, quantò graviùs est animabus, ab illo desiderabilissimo DEI vultu conspiciendo arceri, à tam amantissimo

Patre,

Patre, & omnium bonorum fonte, avelli. Compatere animabus. Pete à DEO, ut illas faciat, in suum conspectum venire. Ostende eis misericordiam tuam Domine, & salutare tuum da eis. Excita in te desiderium videndi Deum. 2dò: quia animæ in purgatorio, exules à Patria, amicis, consanguineis, à carne & sangvine relictæ, in doloribus, nullum sibi auxilium præstare possunt, & quàmvis multa patiantur, nihil tamen per hæc merentur. Ergo nos eas juvemus, & ipsi, dum tempus habemus, operemur bonum. Per omnia enim, quæ quisq; in hac vita agit bona, aut patitur, mereri potest, & animas juvare. 3tiò: Ex eo etiam gravitas pænarum purgatorii colligitur, quia in purgatorio eædem sunt pænæ, quæ in inferno, & quandóq; graviores, excepta perennitate; superant tamen omnia tormenta, dolores, afflictiones hujus mundi. Consultiùs itaq; videretur, quamdiu vivimus, peccata per pænitentiam expiare, & leviores afflictiones, fortî & generosô animô superare, sufferréq;, quàm, ad purgatorium expianda peccata reservare. 4tò: ex eo insuper sunt graves illæ pænæ, quia illas patiuntur animæ sinè ullo solatio, auxilio; rarus equidem est, qui pro illis satisfaciat Justitiæ Divinæ. Si itaq; illo tempore optamus nobis affutura auxilia, præstemus nunc aliis, dum vivimus: qualî enim mensurâ mensi fuerimus nunc, talî remetietur nobis. 5tò: Ex eo deniq; aggravari pænas purgatorii, quia animæ, vident nunc clarissimè, quàm facilè eas evitare potuissent, si media, à Christo, & Ecclesia, provisa adhibuissent, dum in carne militarent, nos itaq; non negligamus, nè tunc affligat nos negligentia nostra.

PUNCTUM 2dum.

Quis modus juvandi animas?

COgita 1mò: plures animas esse in purgatorio, quæ pænas patiuntur propter defectus capitis & cogitationum. Ut ergo

eas

eas juves ô Religiose, collige guttas sangvinis, de capite Christi spinîs coronati defluentes, collige omnes aculeos spinarum, infixos Capiti Christi, & offer *Patri* æterno, ac Justitiæ ejus, pro animabus hisce. Repræsenta dolores, & inclinatum caput Christi in cruce, ad expiandos defectus earum animarum; Simul autem cura, nè tuum caput sit erectum per superbiam, sit durum per inobedientiam. Ordina item cogitationes tuas, ut sint sanctæ, & multùm juvabis prædictas animas.

Cogita 2dò: Plures animas pati in purgatorio, ob oculorum & aurium abusum. Collige lacrymas oculorum JESU cum sanguine mistas, offer DEO Patri, ad eluendos eos abusus. Repræsenta eidem Patri, sanguine ac livore offusos oculos Christi, & aures spinîs laceratas, tot blasphæmiîs impletas, & roga, ut misereatur earum animarum, propter JESU oculos & aures. Tu simul impone legem oculis tuis, nè curiosè vagentur, & sepi aures tuas, nè auscultent rumores vanos, ob amorem & ferendum auxilium iis animabus.

Cogita 3tiò: non deesse animas in purgatorio, quæ ob gustus & linguæ abusum pænas purgatorii sustinent. Offer pro illis Patri æterno, illud fel & acetum, quô, Christus in Cruce potabatur. Offer Christi sitim, & admirabile in tota pasione silentium. Repræsenta aridas fauces, & hians in agone os; roga, ut earum misereatur. Tu autem linguam tuam, strictô silentiô coërceas, & gustum à sapidis mortifices, ut DEUS eas animas, Cœlestî gloriâ exsatiet.

Cogita 4tò: esse item ibidem tales animas, quæ ob manuum non rectum usum, excruciantur; offer pro illis extensa Christi in cruce brachia, & clavîs perforatas manus. Collige sanguinem de vulneribus manuum profluentem, & unà cum doloribus manuum repræsenta in satisfactionem, & abolitionem de-

fectuum, earum animarum: tuas quoq; manus affige cruci, tanquam clavis, Regulâ de tactu, & Regulâ de non dandis & non accipiendis rebus sinè facultate; & sic feres auxilium animab9.

Cogita 5tò: Inveniri quoq; animas in purgatorio, propter effusionem cordis sui, in varios creaturarum affectus; ut pro illis satisfacias, collige sanguinem cum aqua, de latere Christi effusum, offer DEO, apertumq; lanceâ latus, & cor repræsenta. Atq; tuos affectus, abstrahe ab omnibus Creatis, transfer in DEUM.

Similî viâ, satisfacies pro illis animabus, quæ patiuntur propter defectus commissos per pedes, aut per indulgentiam corpori suo, ejusq; immortificationem, colligendo sanguinem de omnibus corporis Christi membris manantem, & applicando animabus purgatorii, repræsentando DEO, vulnera Corporis Christi, pro iisdem, simúlq; tui corporis mortificationem statuendo. Quid enim efficaciùs juvare potest animas, quàm sangvis & merita Christi, atq; oppositæ illarum animarum defectibus, virtutes, à viatore exercendæ?

PUNCTUM 3tium.

Quis modus, evadendi, vel alleviandi Purgatorii?

COnsidera, efficacissima evadendi, vel alleviandi purgatorii media, esse hæc, 1mò: Offensarum suarum ex corde remissio, nulliusvé vindictæ, sive à DEO sive ab hominibus requisitio, juxta infallibile Christi effatum: *Dimittite & dimittetur vobis.* 2dò: fortis & Religiosa omnium, in Religione occurrentium tribulationum & afflictionum, sinè querelis sustinentia: talis enim, par Martyribus efficitur. 3tiò: qui in vita, specialiter, Christo passo & Crucifixo compatitur, evitat dolores purgatorii. 4tò: Ussus Sacramentorum accuratus, & actuum amoris DEI, atq; contritionis, plurimum minuit de purgatorio. Similiter, diligens u-

sus

ſus Indulgentiarum. 5tò: Tandem, qui in vita, animarum purgatorii curam habet, earúmq; liberationem per pia opera, & mortificationes promovet, earundem auxilium, poſt mortem experietur. Reſolve te ad hæc omnia, & propone.

COLLOQUIUM.

CUm Chriſto Crucifixo, rogando, ut ille ſanguine ſuo eluat omnes maculas expiandas per purgatorium, extinguátq; ignes purgatorii. Cum Beatiſsima, ut illa ſit nobis propitia, in vita & in morte.

Fidelium animæ, per miſericordiam DEI, merita & mortem Chriſti, Interceſsionem Beatiſsimæ & Sanctorum omnium, requieſcant in pace. Amen.

Pater: Ave: Anima Chriſti.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

EDuc de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. *Pſal:* 141.

Requieſcant in pace. Requiem æternam dona eis Domine.

RECOGITATIO INFERNI.

COngruentiſsimè Spiritus Sanctus, errantes à via Cæleſtis ſapientiæ, monet Eccl: 9: *Nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia, erunt apud inferos, quò tu properas. Deſcendamus* igitur, monente Propheta, Pſal: 54: *in infernum viventes*, ſeria meditatione, nè deſcendamus morientes; illius antra, & tormenta reviſamus, ut horreamus, & fugiamus. Idq; duplici meditatione præſtabimus. 1ma oſtendet: quis? & qualis locus inferni? quiſve modus evadendi? 2dà: pænas inferni examinabit.

MEDITATIO. 1ma.

De Inferni loco.

PRæl: 1: Collocatio loci, ante ſulphureum, ac tenebroſum carcerem, plenum animabûs damnatorum.

Præl 2: Petenda gratia efficacis Considerationis de pœnis inferni, quâ excitari valeas, ad perfectiorem vitam.

PUNCTUM 1mum.

Quis locus inferni?

Cogita 1mò: Infernum esse locum exilii æterni, in quo exulant animæ à Deo, ad cujus possessionem creatæ sunt, â Cælo, tanquam à Patria sibi destinata, à Christo, Beatissima, & Cælitibus, & ab omni universorum bonorum aggregatione. Non providebant, vivendo, Deum in conspectu suo semper, proinde æternùm ejus visione carebunt. Inhærebant viscosè terrenis, ideo à Cælis & Cælitibus exulabunt. Disce ô Religiose, nunc coram Deo ambulare, ut cum illo regnes in æternitate, disce terrena contemnere, ut Cælestem Patriam consequaris.

Cogita 2dò: Infernum esse locum desolationis, doloris, egestatis, cruciatuum, & quidem sinè fine tolerandorum. Unde Isaias clamat c: 33. *Quis poterit habitare cum ardoribus sempiternis?* O quanta dementia! propter breves hujus vitæ voluptates, perennibus addici cruciatibus! *momentaneum est*, quod delectat, æternum, quod cruciat. Fuge Religiose delicias transituras, ut æternas obtineas.

Cogita 3tiò: Infernum esse carcerem teterrimum, æternîs undiq; serîs & claustrîs obseratum, ex quo nullus exibit in æternum. *Ex inferno nulla redemptio*, in quo omnia mala, sinè intermissione patienda occurrunt. Confregisti miser ô homo! jugum Christi, nimiùm tuæ libertati indulgendo, & eâ ad offensam Dei abutendo, ideò æternùm incarceratus & ligatus, gemere debes. O! JESU pro me ligate, in carcerem apud Caipham detruse, libera me à vinculis peccatorum, nè inferni trahar rudentibûs.

Cogita 4tò: Infernum esse locum gemituum, odiorum, maledictionum, desperationis, ubi erit fletus & stridor dentium; Nihil

hil ibi ad solatium, nihil ad recreationem, universa ad afflictionem & tormenta, futura sunt. Torquebuntur ibi oculi monstrîs, ac objectîs abominabilissimîs, pro curiositate videndi; quidquid spectabitur, mærorem adferet. Auditus torquebitur ejulationibûs, maledictîs, desperabundîs clamoribûs, pro abusu aurium. Gustus, fame, siti: *Famem patientur ùt canes, bibent fel draconum.* Odoratus, horrendo fætore, Tactus exercebitur summîs doloribûs; transîerunt illæ omnes delectationes sensuum, quas avidè quærebant damnati, & nunc sola restat afflictio, & dolor. Vide, ô homo, quàm amarum sit, dereliquisse Deum, ob fugaces & vanas ensuum illecebras. Momentô præteriit, quod oblectabat, æternùm durabit, quod cruciat. Abrenuntia omnibus hujus vitæ vanitatibus, horre omnia sæculi oblectamenta, amplectere Christi Crucem, sustine in vita dolores, nè in hunc locum afflictionis perpetuæ devenias. Roga per JESU Christi dolores, & vulnera, nè te permittat infascinari, hujus vitæ solatiolis, sed tuum solatium sit, vivere & pati cum Christo, ac mori in Christo.

PUNCTUM 2dum.

Qualis Inferni locus?

COgita 1mò: Locum inferni, esse tenebrosum, & horridum, non ibi sol, non luna, non stellæ, aliáq; sydera, vel minimum lucis radium ministrabunt; ipse ignis inferni uret, non lucebit. Potest illud Jobi de loco inferni occini: *Vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum.* O quàm vanum tunc apparebit, lucem, plausus, ostentationem hujus sæculi affectâsse! Quid tunc proderunt illæ in vita excellentiæ, speciositates, æstimationes? Meliùs fuit ad tempus vilificari, in umbris humiltatis vixisse, quàm ad tenebras exteriores, in æternum descendisse.

Cogita 2dò: Locum inferni esse intolerabilibûs fætoribûs plenum

num, quot ibi erunt corpora, tot fætulenta cadavera, pestilentiorem mephitim exhalantia, quàm omnes cloacæ sordidissimæ hujus mundi; ità, ut teste S: Bonaventura, si vel unius damnati corpus, in hunc mundum exportaretur, omnes confestim domos, pagos, urbes, provincias, totum àërem, & universum orbem, pestifera lue inficeret. Quid itaq; facient tota æternitate, infinita damnatorum cadavera? à tot annorum millibus, igne tartareo tosta, qualis odor ille erit, qui ascendit ex sulphureis, igneis globis, ex putoribus execrandis, ex obscæno volutabro carnalium fæditatum? quid ibi aget delicatulus? ubi nam erunt flosculi toties naribus admoti? ubi aromata? ubi balsama? ubi odorifera suffimenta? Respondet Isaias Cap: 3. *Erit pro suavi odore, fætor.* Cura itaq; Religiose, ut hic sis, Christi bonus odor, nè illis fætoribus, putrescere cogaris.

Cogita 3tiò: locum inferni, esse famis Patriam: *famem patientur ùt canes* Psal: 58. sicut enim canes, præ famis magnitudine, occupantur circa sordes, cadavera, fimeta, & quæcunq; alia ejectamenta; sic impii, ùt canes famelici, se ipsos mordebunt, & consumere, vorando contendent, ùt Isaias c: 9. inquit: *Erit populus, quasi esca ignîs, Vir Fratri suo non parcet, unusquisq; carnem brachii sui vorabit.* O quanta illa erit fames corporis damnatorum! sed quantò major animæ? scient, in aula Cælesti, æterni Patris mensæ accumbentes, torrente voluptatis potari: scient, quòd ipse Dominus accinctus, ministrabit accumbentibus, & interim damnatorum animæ, præ fame ululabunt, nunquam de illa mensa etiam micam percepturæ. Frustra quis, post mundi delicias, speret Cæli convivium. Ah! quantò consultius fuerat, corpus macerare à vitiis, quàm æterna cruciari fame.

PUNCTUM 3tium.

Quis modus evadendi inferni?

COgita 1mò: Efficacissimum medium, evadendi inferni, si ità

nunc

nunc vivas, ùt eductus ex inferno; & cum S: Borgia, in totam tuam vitam, illo principio regulaberis: *Infernus, domus mea est.* Gravis tibi videtur disciplina Religiosa! considera graviorem esse domi tuæ, in inferno; incommoda habitatio? non ad gustum cibus? non ad mentem vestitus? reflecte te, qualia hæc omnia haberes domi tuæ: *Infernus domus mea est.* Socii tibi intolerabiles videntur? nunquid non intolerabiliores dæmones & damnati? &c. 2dum Medium est, sæpe versari mente in inferno, spectando ibidem plures damnatos, propter pauciores & minores culpas, quàm tuæ sint; & teipsum reum ac dignum æternîs pænîs agnosce, atq; coram Deo, in contrito corde, confitearis 3tium Medium, servire Deo, per omnes actiones suas, ob solam ejus Bonitatem, ac dignitatem, & propter illam ipsam, non verò ob timorem pænarum, vel spem præmiornm. 4tum Medium, sæpiùs omnes actiones vitæ suæ, balneare in sanguine, & vulneribus Christi, addictumq; ejus passioni esse meditandæ. Propone hæc omnia. Pete à Deo auxilium.

COLLOQUIUM.

CUm Christo Crucifixo. Rex tremendæ majestatis, qui salvandos salvas gratis, salva me fons pietatis. Recordare JESU pie, quòd sum causa tuæ viæ, né me perdas illâ die. Quærens me, sedisti lassus, redemisti, Crucem passus, tantus labor, non sit cassus.

Pater: Ave: &c: An: Christi &c:

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

TImor & tremor, veneruut super me, & contexerunt me tenebræ. *Psal:* 54.

Domine, quò ibo à Spiritu tuo, & quò, à facie tua fugiam? si ascendero in Cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. *Psal:* 138.

MEDI-

MEDITATIO 2da.

De Pænis inferni.

PRæl: 1: Colloca te coram foco sulphureo, animabus damnatorum pleno.

Præl: 2. Pete gratiam fructuosæ Meditationis de pænis inferni.

PUNCTUM 1mum.

De Pæna damni in inferno.

COgita, pænam damni in inferno, illam esse, quæ aufert Deum summum bonum homini, ad cujus boni possessionem est creatus. Metire ô homo Deum! pretium ejus expende, bonitatis illius abyssos collige. Totum istum Deum, aufert tibi pæna damni, carebis Deô, & carebis in æternum, propter peccatum momentaneum. O verè non sunt condignæ delectationes peccati, in hac vita, ad futuram pænam damni! 2dò: Pæna damni privabit damnatum, charitate Dei, ejusq; gratiâ & amicitiâ, privabit visione & consortio Dei, Redemptoris sui; privabit omni fructu Incarnationis ejus, privabit Societate Beatissimæ & Sanctorum, omniumq; Electorum Dei, privabit lumine gloriæ Dei, donîs ac dotibûs omnibûs supernaturalibus, item deliciîs omnibûs beatitudinis æternæ, ad quarum tamen fruitionem æternam, à Deo conditus, à Christo redemptus, omnibusq; mediîs, abundanter instructus fuit, sed propter suæ propriæ voluntatis infelicem libertatem, quâ abusus est, omnia perdidit. 3tiò: Pæna damni, privabit damnatum, omni solatiô hujus vitæ, etiam corporalis. Guttam aquæ usq; hodie requirit, ille dives in inferno sepultus, nec obtinuit, nec obtinebit in æternum. Quis non formidabit ejusmodi pænam? Quis non eliget, omnia potiùs, hujus vitæ mala pati?

PUNCTUM 2dum.

De Pæna sensûs.

COgita, pænam sensûs procedere ab igne, qui ità est vehemens, ut

nec

nec omnes omnium hominum lacrymæ, nec omnia flumina, ejus vel minimam ſcintillam extinguere valeant; & licèt comburat damnatos, non tamen conſumit. Singula ibi membra corporis, venæ, arteriæ, fibræ, inteſtina, viſcera, & oſſa, in ſtagno illo ſulphurei incendii, tanquam ſpongia in medio mari, ardebunt igne inextinguibili. Et quis ex vobis, qui nihil, niſi delicias expetitis, qui ducitis in bonis dies veſtros, habitare poterit cum igne devorante? 2dò, Procedet pæna ſensûs à vermibus, de quibus S. Anſelmus, in Elucidario ſic ait: 3tia in inferno pæna eſt, vermes immortales, ideſt ſerpentes & dracones, viſu & ſibilô horribiles, qui ût piſces in aqua, ibi vivunt in flamma. Itaq; ſcaturiet undiq;, per nares, oculos, aures, os, examen fætidiſsimum vermium, qui perpetuîs morſibûs, omnia inteſtina, & ſingula membra, acerrimè vellicabunt. Moleſtus nunc vel unius vermiculi morſus, quantò acerbior erit, illa per tot vermes laniena? 3tiò: procedet à fætore, ex tot compactis halecum inſtar, & ardentibus corporibus exhalante. Miſer, & miſerabilis peccator, qui peccatorum ſuorum ſordes, non exhorruit in vita, in æternum ad inferni cloacam dejicietur. 4tò procedet, à continuo rugitu, & gemitibus damnatorum. 5tò: procedet, ab omni genere acutiſsimorum morborum, cunctorumq; malorum aggregatione. Vide ô homo, nunquid non conſultiùs, generosè & fortiter, hujus vitæ ſufferre mala? & cum S: Auguſtino petere: *Hìc ure, hìc ſeca, modò in æternum parcas.*

PUNCTUM 3tium.

Æternitas pænarum.

CONſidera, pænam pænarum in inferno eſſe æternitatem, hæc enim, fons eſt rabiei, & deſperationis; tolerabiliùs eſſet, graviſsimîs etiam torqueri Cruciatibûs, ſi illi ſperarentur, ſaltem aliquando finiendi; ſed quia hi nunquam terminabuntur, & ſinè o-

mni cessatione continuabuntur in æternum; hoc demum est terribilium terribilissimum. Deme æternitati mille annos, deme mille millia annorum, deme tot sæculorum millia, quot stellas numerat Cælum, quot atomos äër, quot guttas Oceanus, nec unicum momentum æternitati detraxisti; ità enim manebit infinita, sicut ante fuit, manebítq; tamdiu, quamdiu perseverabit esse Deus. Apprehende hæc omnia anima mea. Unius momentaneæ delectationis, tota infelix æternitas, pæna est. O DEUS! ergone unius diei febricula nobis molesta est? & in molli lecto, inter morsus pulicum durum videtur, per unam noctem decumbere? digitum ardenti candelæ admotum, unico quadrante tenere intolerabile? Ah! quid erit, semper, & æternùm, à visione Dei exulare, igne atrocissimo uri, die, noctúq;, mediam inter caliginem, fumum, ac sulphur, versari, excruciari modis omnibûs, sinè ullo solatii levamento, inter ejulatus lamentabiles, ac rugitus damnatorum, in contubernio dæmonum vivere, desperatione rumpi, & rabie nunquam lenienda, ac sic vivere, æternùm moriendo, & mori, æternùm vivendo. Ergo, monente D: Bernardo, lib: de ani: c: 3. *Alterum è duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetuò lætari cum Sanctis; bonum siquidem, & malum, vita & mors, ante nos sunt posita, ut, ad quod voluerimus, manus extendamus.* Vide ô Religiose, ut cum timore & tremore, certam tuam facias vocationem, gratulaberísq; tibi, quòd sis procul à laqueis, quòd sis in domo Dei, atq; onus Religionis libenter feras, quô à diaboli jugo liberaris.

COLLOQUIUM.

O! Anima mea, æternitas te bona, vel mala manet, & in potestate tua est, cum DEI gratia, bonam consequi. Cur ergo non incipis, seriò pro Cælo laborare? quid tibi cum transitoriis vanitatibus? transibunt hæc omnia, quid te ex rebus mundi con-

contrista-

tristabit? quid pro æternitate bona obtinenda grave erit? Æterne DEUS, qui me æternum creâsti, nè permittas me, quæso, perire in æternum.

Pater: Ave &c. Anima Christi.

EJACULATORIA

Oratio in Singulas horas.

O hora, quomodo transiisti! ô æternitas, quando, & quæ venies?

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

DOmine, educ ab inferno, animam meam, salva me à descendentibus in lacum. *Psal: 29.*

Infernus domus mea est. S: Borg:

Quis poterit habitare cum igne devorante? *Isaiæ* 33.

Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. *Mat: 7.*

Gehennæ meditatio, principium salutis. *Tertulianus.*

Fieri non potest, ut anima, de gehenna sollicita, citò peccet. *S: Chri: hom: 2. in Epist: ad Thessal:*

Nullus ex his, qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam. *Idem.*

Qui perfectè vivit, non habet, unde in inferno damnetur. *S: Ber: C.* 4. de modo bene vivendi.

RECOGITATIO CÆLI.

PRævenienda nobis cogitatione Patria Cælestis est, ac mentis conversatione adeunda, antequam illam ingredi mereamur. Non habentes enim in terris manentem Civitatem, ad illam, omnibûs votîs & desideriîs, ferri debemus, quam perennaturam credimus. Investigemus itaq;, quid Cælum? quid in eo agatur, & quæ ibidem gaudia?

MEDITATIO

De Cælo.

PRæl: 1. Videbo S: Ignatium, defixis in Cælum oculîs, clamantem: O quàm sordet terra, dum Cælum aspicio! Q 2 *Præl:*

Præl: 2: Petam gratiam, excitandi fervoris ſpiritualis, per deſiderium Patriæ Cæleſtis.

PUNCTUM 1mum.

Quid Cælum.

COnſiderandum 1mò: Cælum, eſſe ſedem DEI, & Sanctorum Patriam, in qua, omnibûs perfruuntur bonîs; jam ibi non eſt fletus, neq; dolor, neq; mors ultra erit, non timor aliorum malorum &c. Quis non deſiderabit ad tam amabilem & jucundam tranſire Patriam? non alia tamen via perveniendi, quàm per magnas tribulationes, & dolores hujus vitæ. Sed quid hæc ſunt, ad futuram gloriam? Si multa, & gravia perferunt homines, propter temporale lucrum, ac corruptibilem coronam, quidnî nos, toleremus mala, propter æternam, & incorruptibilem gloriam? Non ſunt condignæ paſsiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Rom*: 8.

Conſiderandum 2dò: Cælum, eſſe locum amænitatis, & pulchritudinis ex quo Sancti, nunquam movebuntur. Superat autem omnia hujus mundi palatia, pulchritudines, ſvavitates, ſolatia, ità ſicut Cælum, ſuperat terras. Principes hujus mundi, magni æſtimant, ampla, ornata palatia, picturas, periſtromata; quantò plùs æſtimandum eſt Palatium Cæleſte, ad cujus comparationem, omnia hujus mundi palatia, hirundinum nidi ſunt, equorum ſtabula, caſæ ruſticæ &c. O! Cæleſte Palatium quando perveniam, & manere incipiam in atriis tuis? Finge urbes gemmeas: ad Cælum hæc nihil erunt. Cæleſtibus enim, omnes terrenæ gemmæ, & quæcunq; pretioſa, nequeunt comparari. Quantô itaq; Beati perfruuntur gaudiô, in tam nobiliſsimo habitantes Palatio. Sed in hanc Civitatem, nihil introibit coinquinatum, nihil imperfectum, nihil tepidum. Videamus ergo, ut omnimodam perfectionem virtutis comparemus, quò ſic idonei illâ domo, evadamus.

Considerandum 3tiò: Cælum esse Civitatem ornatissimam, mundissimam, muri ejus lapis pretiosus, & plateæ ejus, aurum mundum, singulæ verò portæ, singulæ Margaritæ. O quàm desiderabilis hæc Civitas est! Quid igitur hæreo in his terrenis? cur mentem & affectum non sublevo ad Cælestia? *Heu mihi! quia incolatus meus, prolongatus est.*

Considerandum 4tò: Cælum esse Patriam luminum & gaudiorum, & omnis sinè intermissione lætitiæ. Quicunq; eam semel adeptus fuerit, nunquam ab ea, ejusq; bonorum usu ejicietur. Quantô ergo desideriô, ad illam Patriam anhelandum esset, ex hac lacrymarum valle. O quando veniam & apparebo ante faciem tuam DEUS meus? quando, tua fruar pulchritudine? quando exosculabor JESU mei gloriosa vulnera? quando stringam plantas Beatissimæ? Quando congratulabor, omnium Sanctorum felicitati æternæ? Cupio, ah cupio dissolvi, & esse cum Christo!

PUNCTUM 2dum.

Quid in Cælis agatur?

CОnsiderandum 1mò: In Cælis svavissimam esse omnium inter se familiaritatem, ubiq; Divinæ laudes personant & in omnibus vicis ejus, Alleluja cantatur. Pulchritudo singularum Civium, est admirabilis, nam animabus referent divinitatem quâ pleni erunt. Post judicium autem universale, corporibûs fulgebunt sicut sol. Quanta voluptas, tot intueri quasi Deos, quot Beatos, suis locîs, ordinibûs, ornatibûs, pulcherrimè dispositos & instructos: dignitate omnes sunt Filii Dei, Cives ac Reges Cæli, triumphatores mundi, carnis, dæmonis, sacrificium laudis perpetuæ, Deo immolatum. Priùs tamen hic ornanda est anima virtutibûs variîs, ut in Cælo, ejus resplendeat pulchritudo. Curasne hæc ornamenta animæ? Priùs hic caro cum suis concupi-

ſcentiis, crucifigenda eſt, ut in felici æternitate, Solis lucem æmuletur. Vide, quas mortificationes adhibes, quibûs modîs atteris corpus tuum, ut ſpiritui ſubjicias.

Conſiderandum 2dò: Civium illorum convictum, eſſe jucundiſsimum; ſinguli enim, nôrunt ſingulos nominatim, cum ſingulis, quando placebit, colloqui, agere familiariter, poterunt; ſinguli ſingulorum ſentient benevolentiam, & amicitiam, omnes ſeſe mutuo amore, ſincerè proſequentur, nec minùs gaudebunt de aliorum, quàm de ſuis propriis bonis. O! quàm bonum, & pulchrum, fratres habitare in unum. Hîc illa charitas inchoanda eſt, ut ibi continuetur. Expende, quâ benevolentiâ, & reverentiâ, cum fratribus agere conſuevisti?

Conſiderandum 3tiò: Civium beatorum totam vitam eſſe: contemplari, amore frui, delectari, exultare, laudare, benedicere, gratias agere, gratulari DEO, & Cælitibus univerſis. Et omnes ex ea contemplatione, ardentiq; amore in Deum, qui eos tantîs bonîs cumulavit, in perpetuas laudes atq; gratias erumpent. Laudabunt illum ex omnibus operibus, & beneficiis ejus, ex opere creationis, gubernationis, redemptionis, juſtificationis, ex operibus miſericordiæ, juſtitiæ, ex præmio juſtorum, & pænis impiorum, ex omnibus occultis & manifeſtis judiciis ejus, deniq; ex tota rerum creatarum diſpoſitione. Omnia enim clarè cognoſcentes, videbunt conſilium DEI de ſingulis, ac præ magnitudine admirationis, voluptatis, & gaudii, de omnibus ſigillatim laudabunt Deum, benedicent, glorificabunt, agent gratias immortales. Deſidera eorum Cætui te adnumerari & æternùm in iis actibus perſeverare. Priùs tamen in hac vita iiſdem aſſueſce, conſtanterq; ac fideliter, DEO ſervire per omnia contende.

PUN-

PUNCTUM 3tium.

Quæ Beatorum Cælitum gaudia?

COnsiderandum 1mò: magnum fore gaudium Beatis ex eo, quòd videbunt ex una parte liberationem sui à maximis malis, & periculis vitæ hujus; ex altera parte, securitatem de sua felicitate æterna. Videbunt infra se impios, flammis involutos æternis, tanquam struem lignorum ardentem. Videbunt pericula malorum, in quibus ipsi fuerunt, & per Dei misericordiam, non periérunt. Conferent suam felicitatem cum eorum miseria, & sic erumpent in gaudia, & laudes ejus. Et tu, ô homo: vide, ut vocationem tuam certam facias quantùm ex te, longè autem ampliùs, totîs viribûs obsequere, nutrici omnium, gratiæ, salvanti te, & suaviter ad omnia bona excitanti.

Considerandum 2dò: percipient item gaudia Sancti, ex dotibus corporis; fulgebunt enim corpora Sanctorum instar Solis, erunt immortalia, inviolabilia, impassibilia, agilia, atq; velocia instar fulminis, subtilia & penetrabilia instar radii solaris, ubiq; momentô temporis, consistere poterunt. Vide tamen, quòd ad eas dotes, non per otium & delicias, sed continuam in omnibus mortificationem perveniatur.

Considerandum 3tiò: maximum Beatorum gaudium, futurum, ex visione & fruitione DEI: hoc enim gaudium, omnia alia superabit. Nam quò Deus est præstantior omnibûs, eò etiam gaudium, quòd ex eo procedit, est majus præ omnibus. Gaudebunt enim Sancti, imprimis de donis Dei intrinsecis, quibûs ille nimiùm cumulatus est; nimirum, de illius infinita potentia, sapientia, bonitate, pulchritudine &c. Gaudebunt item, de bonis ejus extrinsecis, ut vg: de gloria Dei, quam habet ex humanitate Christi. Item, quam habet ex perpetuis laudibus, honoribus &c. Item, quam habet ex statu Beatorum, & splendore illius

Civita-

Civitatis. Hîs consideratîs, accendamur quàm maximè in desiderium Patriæ Cælestis, sed simul etiam in maximum ardorem amoris divini, fervorìsq; in ferventissimo & absolutissimo ejus obsequio, ut hìc incipiamus gustare, quàm suavis est Dominus. Postea verò satiabimur, cùm apparuerit gloria ejus.

COLLOQUIUM.

O! Domine, auge fidem, auge amorem, auge æstimationem, auge desiderium beatitudinis Cælestis in me, & simul auge conatum, auge studium, auge robur, auge sapientiam, auge perseverentiam, ad negotiandum, ad laborandum, ad patiendum, ad moriendum, pro vita æterna. O amare! o ire! o sibi perire, & ad Deum pervenire! O domns Dei! o Civitas! ô Congregatio & Ecclesia Sanctorum, quis te dignè amabit? quis dignè æstimabit? laudabit?

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Sordet mihi terra, dum Cælum aspicio *S: Ign:*

Satiabor, cùm apparuerit gloria tua. *Psal:* 16.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. *Psal:* 55.

O Israël! quàm magna est domus Dei, & quàm ingens locus possessionis ejus. *Baruch:* 3.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea, in atria Domini. *Psal:* 83.

HORA QUIETIS
DANDA CONSIDERATIONI
Supra Timorem DEI semper conservandum.

Constitutus sub pedibus Crucifixi, pete gratiam fructuosæ Considerationis.

I. MAxima cura Religiosi viatoris sit, ut semper & ubiq; conservet timorem DEI, monente Apostolo, Philip: 2. *Cum metu,*

metu, & tremore vestram, salutem operamini. Multa enim bona præstat animæ, timor DEI. Nam.

1mò: Ex timore DEI potest quisq; haurire vitam spiritualem, & in præsenti per gratiam DEI, & in futuro, per gloriam in felici æternitate. Cùm Spiritus S: Prov: 14. doceat: *Timor Domini, fons vitæ.* Et S: Aug: super Psalm: *Timor præsens, securitatem generat sempiternam.* Arsenius, cùm nullum lacrymandi finem faceret, rogatus, an non cum tot lacrymis securus ad Deum accederet? respondit: Fratres mei metuo, & nec momentô sinè metu fui, ex quo hanc vitæ normam secutus, me DEO consecravi.

2dò: Nihil efficaciùs est, timore Dei, ad expurgandam & tuendam animam à peccatis, quod sapiens Prov: 16. declaravit. *Per timorem, declinat omnis à malo.* Et Ecclesiastici 10. dicitur: *Non est major illo, qui timet Dominum.* Item c: 23. *Nihil meliùs est, quàm timor Dei.* Huic veritati subscripsit Mellifluus Doctor, de mod: bene viven: ser: 4. *Nihil nos magis removet ab omni peccato, quàm timor, & amor Dei.* Anno 1545: Vallisoleti, cum instar miraculi haberetur, Patres Societatis, cum omni genere hominum versari innoxios, & Melchior Canus jocaretur in Curia, haberi à Patribus herbam, per quam interimeretur libido; hic rumor ad Regis etiam aures pervenit, proinde Joannem de Zuniga Magistrum morum, misit ad Patres de hac herba inquisiturum, cui Pater Araozius Provincialis respondit, omnino se habere talem herbam, quæ non modò contra libidinem, sed etiam contra alia vitia præsentissimum sit remedium, eam autem communiter: Timor Dei, nuncupari

3tiò: Timor Dei, excitat solicitudinem, & desiderium placendi Deo, & servandi ejus mandata studium, prout testatur sapiens Eccl: 2. *Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt*

ei. Ibidem. *Qui timent Dominum, custodiunt mandata ejus.* Eo præsidio usa est Susanna; cum enim invitaretur ad nefanda, timore Dei deterrita respondit. *Meliùs est mihi, absq; opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Dan:* 13.

4tò: Timor Domini affert fortitudinem, & generoso Spiritu replet mentem. Ut sapiens Eccl: 34. innuit. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit & pavebit; quoniam ipse est spes ejus.* Et Prov: 14. *In timore Domini, fiducia fortitudinis.* Idem S: Cyrillus in Isaiam scribens, expressit, ubi ait: *Tenendum est: animam Dei timore, velut murô obseptam, fortem esse & quodammodò invictam.* S: Bernardus, 1mus S: Francisci Socius, moriens dicebat: *Nunc sentio, quid sit in Dei timore vixisse, nunc enim pro toto mundo, nollem me aliam vitam instituisse.*

5tò: Timor Dei, tribuit jucunditatem. *Tum quia, Deus voluntatem timentium se faciet.* Psal: 114. Tum quia: *Timenti Dominum, non occurrent mala.* Eccl: 33. *Tum quia timenti Dominum, bene erit in extremis.* Eccl: 1. *Tum quia, Timor Domini,* sicut paradisus benedictionis. Eccl: 40. *Tum quia, timor Domini, delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium, & longitudinem dierum.* Eccl: 1. Tum deniq:, quia Regius Vates canit Psal: 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

6tò: Timor DEI conservat in nobis omnes virtutes; & in via perfectionis, constantes facit. Unde sapiens, Eccl: 27. monet: *Si non in timore Domini, tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Non frustra omnibus Sanctis, insinuat timorem Dei, Propheta: Psal: 33. *Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* S: Petrum de Alcantara, cum vox & vita jam deficerent, nondum saluberrimus hic timor deserebat. Cum enim unus Fratrum, algentem in Cilicio, vellet adducta veste operire, exclamavit: sine Fili, sine me, adhuc certandum est,

non-

nondum extra ictum sumus, quid arma ponamus? Sub hoc timoris præsidio, vivere quisq; satagat, nî in arrepto perfectionis itinere, deficere velit. Bonam hac de re instructionem S: Augustinus in Psal: 32. dedit. *Si creaturæ sæviant! Deum time, non illas. Homo te odit? Deum time. Et sicut solus Deus amandus, vel propter Deum: ità solus Deus timendus, vel propter Deum.*

2. Expende Causas, ob quas Deum timere debeas. Abbas Elias tria dixit esse, quæ timorem incutiant cogitanti. 1mò: Egressus animæ è corpore. 2dò: Evocatio ad tribunal Dei. 3tiò: proferenda à Judice Sententia. Sanctus verò Bernardus ser: 2: in Cant: censet: ideo timendum esse Deum: *Nè crucieris in gehenna, nè excludaris à gloria, nè deseraris à gratia.* Posset quidem blandiri sibi non nemo de innocentia vitæ, de immunitate à peccato. Sed audiet S: Joannem Evangelistam 1. Ep: c: 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Apostolum Gentium, 1. Cor: 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus, qui autem judicat me, Dominus est.* Si autem post tot Confessiones exactè peractas, existimet quis propitium habere Deum, nondum tamen sinè timore vivat, monente Spiritu S: Eccl: 5. *De propitiato peccato, noli esse sinè metu.* Audiît S: Magdalena ex ore ipsius Christi, dimissa sibi peccata, & tamen usq; ad mortem suam, pro illis produxit pænitentiam. Rediît Petrus post suam negationem in amicitiam cum Christo; flere tamen cum vita desiît. Audiit David, ex ore Prophetæ, translatum esse à se peccatum; per singulas tamen noctes vitæ suæ, non cessavit lacrymis rigare lectum suum. Judith: 8. *Vidua illa Judith, erat formosissima, quia timebat Deum valde, nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum.* S: Hilarion Abbas, in extremis positus, dicebat. Egredere anima mea, quid times? septuaginta annis servivisti Deo, & adhuc egredi times?

S: Chryſoſtomus, ſemper in conſpectu ſuo volvit depictam inferni imaginem. Si itaq; hæ & aliæ Cæli columnæ contremiſcunt, quomodo nos ventô agitatæ arundines, non concutimur timore?

3. Intellige, quò te hic timor deducere debeat? non in deſperationis baratrum, non in vanas ſcrupulorum apprehenſiones, & inextricabiles conſcientiæ anxietates. Sed ejuſmodi timor, hæc nobis præſtare bona debet. 1mò: ut cauti vivamus, & cum ſedula ad omnes circumſtantias reflexione, quid? quomodo? & quando? & in cujus præſentia hæc & illa cogitemus, loquamur, & agamus? 2dò: ut evitemus, non ſolùm peccata, ſed etiam omnes occaſiones peccandi. Vitemus etiam otium, negligentiam, ac tepiditatem, in omnibus operibus vitæ Religioſæ. Urgente nos ad id Spiritûs S: præmonitione, Eccl: 18 *homo ſapiens, in omnibus metuet, & in diebus delictorum, attendet ab inertia.*

§. TERTIUS.

PRÆSIDIUM ET ADJUMENTUM 3tium.

Converſio ad DEUM per Pænitentiam.

AGnoſcat Viator Religioſus, non contemnendam ſortem ſuam, ſi conſtanter adhæſerit Dei ſervitio, metuat infelicitatem, ſi cum Filio prodigo, Regionem longinquam petere voluerit. Quocunq; tamen paſſu, quis à Patre receſſerit, veſtigiis Filii prodigi; ei redeundum eſt ut ad pacem & tranquillitatem animi perveniat. 1ma, itaque meditatione, ſors & infelicitas Filii prodigi expendetur. 2da: ejus converſionis circumſtantiæ exponentur. 3tia meditatio, Veram pœnitentiàm, conformabit converſioni Filii prodigi. 4ta: tandem, pacem & tranquillitatem animi perſuadebit.

MEDITATIO 1ma.

De Filio prodigo.

PRæl: 1: Colloca te coram Chriſto, narrante hiſtoriam de filio prodigo.

Præl:

Præl: 2. Pete gratiam fructuosæ Meditationis, ex qua concipias Spiritum semper adhærendi Deo.

PUNCTUM 1mum.

Felicitas Filii, in domo Patris, manentis.

COnsidera, quanta felicitas hujus Filii, quamdiu intra domum adhæreret Patri? 1mò enim sinè suâ cura, labore, & solicitudine, in omni rerum abundantia, & affluentia vixit, sivè quà ad victum, sive quò ad amictum, sive quò ád habitationem &c. 2dò. Ab omnibus honorabatur, ùt Filius. 3tiò: Domestici Patris inserviebant ei. 4tò. Inter viros honestos, ac honoratos versabatur. 5tò: Bene vestitus incedebat, & lautè vescebatur. Nonne & tua, Religiose, similis, aut major est felicitas, in domo Religiosa, adhærenti, Deo? Per ingressum Religionis, factus es specialiter Filius magni Patris, Domini Dei, frater verò JESU Christi, accepisti jus ad Cælestem hæreditatem. Providet tibi Deus omnia commoda absq; tuo labore, & solicitudine; ornavit te Deus tot donîs, dedit tibi donum fervoris religiosi, ad serviendum DEO, ad contemnenda terrena, ad observationem Regularum. Versaris inter tot viros emeritos, Sanctos, prudentia & virtute, conspicuos. Alii Fratres, inserviunt tibi cum charitate, Æstimasné hanc sortem tuam? gratusné vivis Deo, quòd te in domo sua conservet? Non afficerisné cum Filio prodigo, tædîîs, in domo Dei? non indulgesné cupiditatibus tuis, ut abeas in Regionem longinquàm? Curasné conservare Spiritum, quo te Deus animavit in primo ingressu & vestis Religiosæ assumptione. Obfirma te in proposito vocationis tuæ.

PUNCTUM 2dum.

Summa infelicitas Filii, domum Patris deserentis.

COnsidera imprimis, ingratitudinem hujus Filii, in Patrem, qui accepta portione substantiæ, reliquit Patrem, contempsit

domum suæ felicitatis, abiit in Regionem longinquam, & cum magno dedecore Patris, ac domûs suæ, omnia abligurivit. Cogita 2dò: infelicitatem ejus; ad tantam enim miseriam devenit, ut etiam pane caruerit, ex tam ditissimo Patris filio, factus est egenus, ut porcos pascere cogeretur, cuperetq; satiari de siliquis porcorum. O sortem infelicissimam! hoc ipsum fit cum omnibus, qui se à Deo elongant, suæ libertati, & cupiditatibus indulgent, dissipatis enim donis Dei, & illo primævo spiritûs fervore extincto, ad tantam egestatem Cælestium solatiorum perveniunt, ut siliquis impleri cupiant, hoc est, commoda sensualia, & oblectationes sensuum quærant, domum Religiosam deserant, & in mundo, apud Deum, & homines, contemptibiles vivant. Vide, utrùm mores tui ad eã infelicitatem non tendant? utrùm non magis ad sensualia, quàm ad spiritualia, propendeas? Pete à Deo, ut te, in primævo spiritûs fervore, conservet & augeat. Redde mihi Domine lætitiam salutaris tui, & spiritu principali, confirma me.

PUNCTUM 3tium.

Conversio Filii ad Patrem.

COnsidera, quid moverit filium, ut rediret ad Patrem. 1mò: illum movit, egestas summa, ùt ipse fatetur: *fame pereo.* 2dò: movit illum, domûs paternæ abundantia, quam recogitabat, dicens: *Quanti mercenarii, in domo Patris mei, abundant panibûs.* 3tiò: movit eum bonitas Patris, & spes de ejus Paterno erga se affectu, *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* 4tò: deduxit eum ad patrem, animosa Confessio, & accusatio sui, atq; confusio, ad quam se generosè resolvit. *Surgam, & dicam: Pater, peccavi in Cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* Hæc eadem, quemvis nostrûm debent movere, ut se abstrahat à rebus terrenis, & ad Deum ejusq; unionem redeat. 1mò: Expende per seriam reflexionem, quòd, extra Deum, nihil est, nisi summa egestas, nihil enim crea-

creatum exſatiare poteſt, cor & appetitum noſtrum. 2dò: recogitando abundantiam donorum, ac beneficiorum Dei, quæ in nos effudit. 3tiò: conſiderando bonitatem Dei, quâ ſemper paratus eſt, ad nos recipiendos in ſinum ſuum paternum. 4tò: ſi confiteamur peccata noſtra, & confundamur de illis, ad omnem pro illis confuſionem, & ſatisfactionem nos reſolvamus. Vide, utrûm hîſce mediîs, redeas ad Deum? Recogitasné ſæpiùs vanitatem rerum temporalium? Bonitatem ac beneficia Dei, quibûs, te prævenit? Reſolviſné te ſemper ad animoſam Confeſsionem peccatorum, quæ facere non erubuiſti? Erigiſné te, in ſpem de remiſsione peccatorum, de Divina pietate in te ſuſcipiendo? Dic cum filio prodigo: *Surgam, & ibo. Ecce Domine deſero, & abſtraho me ab omnibus nugis,* quæ me hucuſq; detinebant, & totus rubore ſuffuſus venio ad te. *Peccavi in Cælum & coram te non ſum dignus vocari filius tuus*; ſed fac me unum de mercenariis, fac unum de mancipiis tuis. O Domine! quidquid vides vinculorum, à creaturis, cordi meo injectorum, diſrumpe hæc omnia, & ego *ſacrificabo tibi hoſtiam laudis.*

Pater: Ave: Anima Chriſti.

ACTUS EJACULATORII.

Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in Cælum, & coram te, jam non ſum dignus, vocari filius tuus. *Luc:* 15

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt. *Pſal:* 24.

Confitebor adversùm me, injuſtitiam meam Domino, & tu remittes impietatem meam. *Pſal:* 31.

Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus, à te non eſt abſconditus. *Pſal:* 37.

MEDITATIO 2da.

De Converſione peccatoris ad inſtar Filii Prodigi.

PRæl: 1. Statue tibi ob oculos, Filium, humiliter ad pedes Patris proſtratum

ſtratum, dicentem cum lacrymis: *Pater, peccavi, non ſum dignus vocari filius tuus.*

Præl: 2. Pete gratiam, ut parî animô & affectu, ad Deum, Patrem redeas, & pro delictis pænitentiam agas.

PUNCTUM 1mum.

Converſio peccatoris, ſimilis converſioni filii prodigi.

COnſidera omnes circumſtantias, in Converſione filii prodigi ad Patrem, intervenientes, ut illos obſerves in tui converſione ad Deũ. 1mò enim, filius prodigus, vix eſt reverſus in ſe, hoc eſt, vix ex illuſtratione Dei, agnovit, quòd à recto deviaverit; ſtatim de Converſione ad Patrem cogitavit, nec differens de die in diem, de anno in annum, ſurgens abſq; mora, ivit ad Patrem, & confeſſus eſt delictum ſuum. *Pater, peccavi &c.* erubuit, pænitentiam egit, ità decet verè pænitentem, ut citò convertatur, ſinè dilatione pænitentiam agat, nec contemnat patientiam DEI, ex ejuſq; bonitate, licentiam ſibi peccandi faciat, procraſtinationéq; augeat difficultatem ſuæ pænitentiæ, Cùm enim quis non vult, dum poteſt, ſæpe punitur à Deo, ut non poſsit, cum voluerit. 2dò: Regionem lonquinquam deſeruit; ità verus pænitens, debet deſerere, ac deſpicere mundum, ejuſq; vanitates, & omnia, quæ elongant à Deo. 3tiò: dimiſit porcos, & ſiliquas eorum. ità pænitenti, dimittenda ſunt peccata, ſpernenda & cum ſuis concupiſcentiis, per varias mortificationes crucifigenda caro, deteſtandæ oblectationes ſenſuales. 4tò: Filius rediit in domum Patris ſui; ità & pænitens, collectîs omnibûs ſuîs affectibûs, quibûs vagabatur per creaturas, & plenè abſtractîs, debet mente & corde in domo Domini Dei verſari, nempe in Templo, in Cælo, in orationibus. 5tò: Filius Centones ſuos depoſuit; debet & pænitens, deponere omnes pravos habitus, & inclinationes ad malum, debet ſe expoliare omni affectu peccandi; alioquin, ſuſpecta ejus

pæni-

pænitentia. 6tò: Filius induit vestem pretiosam, & pænitens debet induere Christum, exuens opera tenebrarum. 7mò: Sicut filio prodigo, datus in manum annulus, ità & pænitens, debet se Deo desponsare per firmum propositum & stabilem voluntatem non peccandi. 8vò tandem: Filius ad mensam Patris edit, ità & pænitens virtutibûs ornatus, & variis actibûs præparatus debet accedere ad mensam Eucharisticam, filiali & fiduciali affectu. Vide, utrùm tua Conversio ad Deum, ac pænitentia, omnes has conditiones & circumstantias complexa est? Reliquistiné mundum, non solùm corpore, sed etiam animô & affectu? ut cum S: Paulo dicere posśis: *Mihi* mundus crucifixus est; hoc est: illum aversor & execror, tanquam patibularium. Displicentné jam tibi omnes sensualitates, non secus ac siliquæ porcorum? Desponsastiné te Deo, per firmum propositum, & voluntatem, illi constanter adhærendi?

O Domine! nè permittas me separari à te.

PUNCTUM 2dum.

Conversio, debet esse cum satisfactione.

COnsidera, non sufficere ut quis cum filio prodigo deserat Regionem longinquam, seu mundum, veniat in domum Patris, accumbat ejus mensæ: requiritur adhuc, ut cogitet, quibûs modîs satisfaciat Patri, pro ejus offensis. Duplicî autem viâ, hæc satisfactio fieri potest. 1mò: per actus internos, nempe per constantem aversionem à mundo, à carne, peccatis, tanquam à grege porcorum. Item per odium & detestationem sensualium, per mortificationem pasśionum iræ, odii, amoris, timoris &c. 2dò: per actus externos pænitentiæ, per jejunia, disciplinas, cilicia, per officia objecta, promptô animô suscipienda, & accuratè exequenda, purè ex amore DEI, tanquam amantisśimi Patris, quem offenderas. Reflecte te, supra actus internos, & externos pæni-

tentiæ, adhibesné illos? quâ devotione? quo fervore? nonné plura opera pænitentiæ, negligenter, ùt Confessiones, examina &c peragis? Erubesce, deprecare Deum. Propone accuratum studium in his omnibus peragendis.

PUNCTUM 3tium.

Hæc satisfactio, sit in hac vita.

COnsidera, necessariam esse omnino pænitentiam pro peccatis, vel in hac vita, vel in altera subeundam. *Nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cælorum.* Et Deus, in anima, quæ est sponsa Christi, nullam rugam & maculam patitur; faciliùs tamen in præsenti vita, aboletur peccatum per pænitentiam, quàm in futura, hìc enim spontaneè quisq; facit pænas, ibi autem, ipsa vindex justitia Dei, infligit. Magísq; DEO placet, quadrans pænitentiæ benevolæ in hac vita, quàm annus necessariò toleratæ in altera; & unus actus, liberè elicitus, aut ictus inflictus pro peccato, quàm gravissima illius vitæ tormenta. Cur itaq; Religiose non agis hìc agenda, dum tempus tibi suppetit? Cur, Divinæ reservas Justitiæ puniendum? Cur tuam carnem, quæ te in tot nefanda pertraxit, non subjugas per pænitentiam? cur illi blandiris, quæ animæ tuæ venenum, in tot oblectationibus, propinavit? Ideoné meretur commoditates, quas sectaris? quia toties, siliquîs porcorum est impinguata & incrassata, ut toties, adversùs spiritum & Deum concupisceret, & recalcitraret? Concipe odium carnis tuæ, contemne illam, tanquam spurcissimum vermium saccum. Puni, in servitutem redige perpetuam.

COLLOQUIUM.

CUm Christo Crucifixo, petendo ab eo, ut suæ passionis stigmata, imprimat cordi tuo. O Bone JESU, imprime, quæso, corpori meo vulnera tua, & affige clavîs Cruci tuæ carnem

meam

am, nè unquam abstrahat me à te. Cum Beatissima; Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas, cordi meo validè.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

PEccavi, iniquè egi, impiè gessi, & nunc revertor ad te Deus, in universo corde meo, & tota anima mea 3. Reg: 8.

Adjuva me Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui, libera me, & propitius esto peccatis meis propter nomen tuum. Psal: 76.

Iniquitatem meam, ego cognosco, & peccatum meum, contra me est semper. Psal: 50.

MEDITATIO 3tia.

De Vera Pænitentia.

PRæl: 1: Statue tibi ob oculos, Filium prodigum, humiliter ad pedes Patris prostratum, & confitentem peccata.

Præl: 2. Pete gratiam, ut exciteris, ad veram, & seriam pænitentiam pro peccatis.

PUNCTUM 1mum.

VEra pænitentia, conformis conversioni Filii prodigi. Considera, quid filius prodigus, in suî reconciliatione & conversione, cum Patre egerit; & tu illa ipsa adhibe, si vis tibi salutarem esse pænitentiam. 1mò: Filius prodigus agnovit suam indignitatem, dicens: *Non sum dignus vocari filius*. 2dò: cum magno rubore & suî confusione accessit ad Patrem. 3tiò: Filialem accepit fiduciam & spem de bonitate & benevolentia Patris. 4tò: Confessus est, cum humili demissione, peccatum suum, *dicens: Pater peccavi*. 5tò: Tandem omnia, quæ Pater præcepit, executus est. Stolam novam induit, annulum in manum accepit &c. Hæc est forma veræ pænitentiæ, debet enim pænitens agnoscere suam indignitatem, omnia peccata in memoriam revocando, & seipsum,

coram Deo annihilando, debet de peccatis compungi, dolere, pro illis, confundi, & in corde contrito, cum magna fiducia, cum spe ac humiliatione sui, ad Deum accedere, omniáq; peccata confiteri, atq; satisfactionem pro illis facere, Vide utrùm talis fuit & esse solet tua pænitentia? Accedisné cum profundissima submissione, & rubore, ad confessionem? præparasné te ad illam, per seriam conscientiæ discussionem? Confiterisné ità peccata, sicut ea tibi dictat tua conscientia? Deplora defectus & negligentias tuarum Confessionum. Propone accuratum earum usum.

PUNCTUM 2dum.

Pænitentia vera, transformat hominem.

COnsidera, quòd filius prodigus, post suum reditum ad Patrem, alius omnino apparuit, & fuit, quàm esset tunc, dum pasceret porcos, in Regione longinqua. Idem tecum debet facere vera pænitentia, debet enim te, in alium transformare, ut verè possis dicere, non sum ille qui fui in mundo, non sum ità superbus, aliorum contemptor, vanus, iracundus, impatiens, immortificatus, loquax, sicut fui in mundo, jam aliæ sunt cogitationes in mente, alii affectus in corde, alia verba & sermones in ore, diligentiùs nunc sensus meos, liguam, oculos, manus, custodio. Vide, an cæpisti talem pænitentiam? an non idem, vel pejor es, in domo pænitentiæ, quàm fueris in sæculo? si itaq; optas, ut vera tua sit pænitentia, muta te totum in alium, muta oculos, & lacrymîs elue, quidquid maculæ, aspectu contraxisti, muta linguam, os, manus, & instrumenta peccati, converte in instrumenta laudis Divinæ, & tuæ salutis. Pete id ipsum à Christo Crucifixo.

PUNCTUM 3tium.

Pænitentia vera debet esse constans in bono.

COnsidera, & apprehende vivaciter, quòd pænitentes veri, & prædestinati, nunquam redeunt ad pristinum statum infelicem

peccati

peccati, à quo recesserunt, & per pænitentiam ejurârunt. Sic filius prodigus, nunquam rediît, Regionem longinquam nunquam repetiît, ut pasceret porcos, & de siliquis saturaretur. Sic item, nunquam Matthæus, ad telonium resedit, à quo recessit per vocationem Christi. Sic Zachæus ad fraudes, & aliorum injurias non reversus, semel à Christo visitatus. Sic Petrus, ad perjurium, Magdalena ad immunditiam, non redîerunt, sed totâ vitâ suâ adhæserunt Deo, egerúntq; pænitentiam. Et hoc attenta mente considerandum, quòd Christus Dominus, teste Evangeliô, omnes ad se recurrentes, semel sanavit, & neminem bis curavit. Sic, nullum leprosum bis mundavit, nullum cæcum bis illuminavit, & pluribus addebat: *vade & noli amplius peccare.* Vide, utrùm tua pænitentia sit constans? utrùm non redeas ad ea, quæ semel evomuisti in Confessione? utrùm te in eadem non conjicias pericula, & occasiones, in quibus peccâsti? Toties te Deus sanat, in usu Sacramentorum, & cur eadem vulnera renovas? toties te illuminat, cur easdem tenebras repetis? cessa peccare, ut pænitens coram Deo, non irrisor inveniaris. Deus utiq; non irridetur.

COLLOQUIUM

CUm Christo Domino, petendo ab eo, per ejus affixas manus & pedes Cruci, ut te quoq;, constanter faciat sibi affigi, & nunquam à se separari.

Pete & à Beatissima, ut te sub pallio suæ protectionis conservet, & in sinu suo materno foveat, & nunquam labi permittat. Hoc ipsum commenda S. Angelo tuo Custodi.

Pater: Ave: &c: Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

PAter, peccavi in Cælum, & coram te, non sum dignus vocari Filius Luc: 15.

Peccavi, injustè egi, iniquitatem feci. Tu qui pius es, miserere mei. Jud: 7.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis, parce servo tuo. Psal: 18.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias nè memineris, secundùm misericordiam tuam, memento meî tu, propter bonitatam tuam Domine. Psal: 24.

MEDITATIO 4ta.

De pace, & tranquillitate Conscientiæ, post peractam Confessionem.

PRæl: 1. Colloca te ad pedes Christi, loquentis ad Apostolos & omnes suos fideles. *Non turbetur cor vestrum, nolite soliciti esse, nolite timere.*

Præl: 2. Pete gratiam in tranquillitate, & pace interna vivendi.

PUNCTUM 1mum.

Fide generatur tranquillitas animi.

COgita: ut tranquillus vivas, debes 1mò credere, & hanc veritatem tuo cordi imprimere, quòd Deus dederit Sacerdotibus legitimam potestatem, ut te ritè confessum, locò Christi absolvant, juxta illud Joan: 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* & Matth: 18: *Quæcunq; solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* 2dò: Si debitâ diligentiâ & bona fide, dolorosam peccatorũ fecisti Confessionem, & à Sacerdote absolutionem accepisti, debes item firmiter credere omnia tibi à Deo peccata esse condonata, tanquam si ipse Christus te absolvisset, quia Sacerdos legitimus, ab ipso Christo constitutus Judex, te absolvit. Proinde dum audis Sacerdotem, te absolventem. Cogita à Christo dici, quod dixerat Magdalenæ: *vade in pace.* Omnes itaq; anxii timores, scrupuli, diffidentiæ excludendæ sunt, & in tranquillitate ac pace vivendum. Credisné tu istis? cum taliné fide, accedis ad Sacramentum pænitentiæ? Elice actum fidei: Credo Domine omnia, quæ mihi de hoc Sacramento credenda, per Sanctam Ecclesiam proposuisti, in hac fide vivere, & mori desidero. S: Ro-

sæ

ſæ Peruanæ, Virgini innocentiſsimæ, & multîs mortificationibûs ſe exercenti, ſollicitæ tamen de ſua ſalute, Chriſtus dixit: *Filia, neminem condemno, niſì volentem condemnari, tranquillô animô eſto.* (: Annus Cæleſtis 30. Auguſti) ſi itaq; tu efficaciter nolles condemnari, ad quid turbaris?

PUNCTUM 2dum.

Favor Chriſti in peccatores, auget tranquillitatem,

COnſidera, quantus ſit favor Chriſti in peccatores. 1mò: ex ipſius Chriſti verbis, quibus dicit: *Nolo mortem peccatoris, ſed magìs, ut convertatur, & vivat.* Item, *non veni vocare juſtos, ſed peccatores. Non eſt opus bene valentibus, medicô.* Item: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis.* 2dò: Ex parabolis, in hac ipſa de filio prodigo parabola oſtendit, quo affectu paterno, & benevolentiâ recipit peccatores. Item in parabola de ove perdita ſuper humeros poſita, & drachma inventa, ubi addidit gaudium eſſe Angelis, ſuper uno peccatore pænitentiam agente. 3tiò: ex tot Sacræ Scripturæ, & aliis hiſtoriis. Rex enim David, graviter peccârat, & poſt pænitentiam, Deo gratus, & Sanctus efficitur. Sanctus Petrus, negaverat Chriſtum, & poſt lacrymas, Vicarius ſuus, à Chriſto eſt conſtitutus. Paulus eſt perſecutus Eccleſiam, & poſtquam pænitentiam egit; Vas electionis, & dilectionis Dei factus. Jacobus Eremita, enormiter cecidit, & poſt pænitentiam, iterum, miraculîs clarificatus à Deo, & multi alii. Non diminuat itaq; cujusq; ſpem & fiduciam in Deum, multitudo & gravitas peccatorum, quæ deflevit & deflet. Confide & tu Religioſe, nunquid enim te Deus vocâſſet ad Religionem, & tot beneficiîs cumulâſſet, ſi tuam animam non amaret. Rejice omnes cogitationes perturbantes. Noli audire hoſtem animæ inſuſurrantem, & ſcrupuloſas cogitationes ingerentem de malè peracta confeſsione, de omiſsis circumſtantiis &c. Excita ſpem firmiſ-

ſim am,

ſimam, & ſenti de Domino in bonitate. Intra in miſericordias Domini, abſconde te in vulneribus JESU, & dic ſalus mea es tu Domine, in te ſpero, & ſperabo, & non confundar. Feci quod moraliter potui, de reliquo totum me committo, tibi Deo, & Salvatori meo: qui Pater, miſericordiarum es.

PUNCTUM 3tium.

Continuata pœnitentia, & Sanctus timor, conſervat tranquillitatem.

COnſidera. quòd ſicut excludi debeat anxius timor, qui perturbat hominem, pacémq; animæ aufert, ità retinendus eſt ſemper, timor Sanctus, qui nos in humilitate, & fervore Spiritûs, in ſtudio pænitentiæ, & cæterarum virtutum conſervet. Hoc tantùm memoria præteritorum peccatorum apud te efficiat, ut nulli unquam homini te præferas, ut ſis patiens, ut recognoſcas, te propriîs peccatîs, dignum eſſe infernô. Dic tibi ſæpiùs: quomodò audeo me præferre alicui homini, aut de illo conqueri, qui dignus ſum flammîs inferni cruciari & à dæmonibus torqueri &c. Cogita item, ut ſemper te exerceas in actibus pænitentiæ, & ad id te excita exemplîs Sanctorum. Certificatus fuit David per Prophetam de peccato ſibi dimiſſo, & tamen non ceſſabat à fletu, execratione, & odio peccati, dicebátq;: *Lavabo per ſingulas noctes, lectum meum, lacrymîs meîs ſtratum meum rigabo.* Clamabat ad Deum: *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam &c.* Item S. Petrus negationis ſuæ peccatum licèt ſibi remiſſum, deflevit totâ vitâ. Similiter Magdalena, quamvis à Chriſto audiît. *Remittuntur tibi peccata.* Tamen ad finem vitæ, deflevit ea, & ab omnibus rebus mundi, ſe amovens, continuam egit pænitentiam, ſic fecerunt & alii Sancti, procede eorum ſemitâ, & non errabis..

Diſpone tibi in menſes, ſeptimanas, dies, varios pænitentiæ actus. Cura, ùt ad pulſum horæ, ſalutationi Angelicæ, addas actum amoris, doloris de peccatis. Propone, omnes anxietates evitare. Dic cū Jobo. *Domine, etiamſi occideris me, tamen ego in te ſperabo.* Collo-

COLLOQUIUM cum CHRISTO.

ABluendo omnia, tui capitis, & cogitationum peccata, in sanguine defluente de capite Christi; omnia peccata oculorum tuorum, in sanguine & lacrymis oculorum Christi; Cor tuum & affectus, in sanguine & aqua de latere Christi exeunte; Manus & opera tua, in sanguine manuum Christi &c.

Pater Ave: &c. Anima Christi.

ACTUS EJACULATORII.

Ego autē in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. *Hab.* 3.
Quàm bonus DEUS, his, qui recto sunt corde. *Psal.* 72.
Miserere mei DEUS, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo. *Psal:* 56.
Ecce DEUS Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea & laus, Dominus, & factus est mihi in salutem. *Isa:* 12

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI

Supra Confessionem Sacramentalem.

Positus ad pedes Crucifixi, pete gratiam fructuosæ Considerationis.

1. QUam præparationem præmittis Confessioni? examinasne anticipatò accuratè conscientiam? elicisne actus congruos, huic Sacramento? Actum fidei, quòd sit institutum à Christo ad remissionem peccatorum. Actum spei, quòd licèt sis indignus, propter bonitatem, misericordissimi Dei, & merita Christi, in hoc Sacramento inclusa, propitium tibi habebis Deum, omnesq; maculas animæ tuæ, elues in balneo, sanguinis Christi. Actum amoris Dei, præparantis tibi, tam facillima, & efficacissima media exsolvendi te omni vinculo peccatorum. Actum timoris, Justissimi Vindicis, humiliationis tui, dolorisq; acerrimi de commissis peccatis, ac propositum firmum, evitandi peccata omnia.

2. Præcognoscisne fructus hujus Sacramenti, ad concipiendam majorem ejus æstimationem, fervoremq; Spiritûs & tui se-

dulam, ad illud præparationem? Conſidera bona ex uſu Sacramenti pœnitentiæ provenientia. 1mò enim oritur honor Dei, quia Sacrificium Deo gratiſsimum, ſpiritus contribulatus, & cor contritum Pſal: 50. 2dò quia tranquillitas & robur animæ confertur ùt Tho: à Kemp: l: 1. c: 19. docet: Propter crebram de hoſte victoriam, quæ per Confeſsionem obtinetur, & ipſum quidem pænitentem audacem, hoſtem verò timidum, & viribus ſuis diffidentem efficit. Et S: Antonius de Padua ſer: 2: in dom: 1. Quadrg: ait: *Confeſſio eſt terribilis immundis ſpiritibus.* 3tiò cognitio ſui & humilitas comparatur, atq; dæmonum conatus, & inſidiæ eluduntur. Unde S: Bonaventura ſer: 25. in Rogat: ſic diſcurrit. *Nunquam faciliùs, ab inimico devincimur, quàm cùm ſuperbiendo ipſum imitamur, neq; vehementiùs eum proſternimus, quàm cùm humilitate Deum conſequimur, neq; ei dolores acriores infligimus, quàm cùm plagas peccatorum noſtrorum, confitendo & pænitendo, ſanamus.* 4tò augetur ſanctificans gratia, aut recuperatur, illaq; omnia, quæ per peccatum pereunt, reſtituuntur. 5tò: acquiritur majus odium peccati, & facilitas eliciendi, actus contritionis, aliaq; multa bona. Et ſicut quò frequentiùs purgatur domus, mundior eſt, ita per Confeſsionem expurgatâ ſæpiùs conſcientiâ, purior anima efficitur.

3. Curaſne ut tuus dolor, & deteſtatio defectuum procedat, ex amore Dei? cujus amicitiam læſiſti, in te ac aliis gloriam ejus per tuas imperfectiones impedíviſti, ingratus ejus amori exſtitiſti. Item ut magis deteſteris offenſas Dei, præ omnibꝰ aliis malis, & ita deteſteris, ut nullū prorſus ſit peccatū quantumvis leve, de quo intimo dolore, non afficiaris, & à quo voluntatem omnino non avertas.

4. Invitaſne Beatiſsimam, quæ eſt Refugium peccatorum & Mediatrix noſtra, ut per illam acceſſum ad Filiū invenias? Similiter S: Angeli Cuſtodis, & tuorū Patronorū uteriſne interceſsione? Aſſumiſne affectus, & devotionem omnium fructuosè pænitentium?

5. Accediſne cum omni decentia, & reverentia, tum interna

tum externa, ad Confeſsionem? conſideraſne in ipſo acceſſu, cum Deo te acturum, & locuturum, coram quo, ùt Judice, te accuſabis, in conſpectu Beatiſsimæ & Sanctorum omnium.

6. Procuraſne ut integrè confitearis, nihil eorum prætermittendo, quod conſcientiàm pungat & graviùs afficiat.

7. Declaraſne ſpecies peccati, & circumſtantias, atq; adjuncta quæ culpam graviorem reddunt? Explicaſne numerum etiam in venialibus, ſaltem gravioribus?

8. Curaſne ut peccata narres cum rubore, & verecundia, nullas excuſationes, & extenuationes admiſcendo. Audi S: Ambroſium lib: 2: de Caim: c: 7. docentem. *Erubeſcere debemus peccatum, non defendere, quoniam pudore culpa minuitur, defenſione cumulatur.*

9. Uniſne naturalem verecundiam, dicendi peccata in Confeſsione, cum verecundia Domini tui, in conſpectu hominum nudati, ad flagellationem & Crucifixionem?

10. Patienterne ac reverenter ſuſcipis, ſi interrogeris, aut monearis in aliquo, à Sacerdote?

11. Renovaſne dolorem, de omnibus peccatis tuis, ſub tempus abſolutionis? induiſne tunc perſonam publicani, non audentis oculos ſuos levare in Cælum, & percutientis pectus ſuum. *DEus propitius eſto mihi peccatori?*

12. Deſideraſne in balneo ſanguinis JESU, & in lachrymis omnium pænitentium, elui omnes maculas peccatorum tuorum.

13. Poſt Confeſsionem ſtatimne te confers ad Chriſtum, cum gratiarum actione pro tanto beneficio, in uſu Sacramenti tibi præſtito? ne jure de te conqueratur, ut olim de illis leproſis mundatis, cùm diceret: *Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt?* Luc: 17.

14. Perſolviſne quàm primũ, injunctã tibi pænitentiã & propoſita facta in Confeſsione? inſtauraſne, ut ea efficatiùs exequaris?

15. Convertiſne mentem ad futuram Communionem ut adjicias animum, te in omni modeſtia, & devotione continere, gratiámq; per Sacramentum pænitentiæ ſuſceptam cautiùs cuſtodire?

P A R S 2da.

Progressus Viæ Cælestis Sapientiæ,

Per Viam Illuminativam.

HUcusq; in 1mo ingressu Viæ Cælestis Sapientiæ hæsimus, amovendîs obstaculîs, evitandisq; periculîs distenti, ubi prava, indirecta, & aspera, in vias planas deduximus. Nunc jam in lumine claritatis Sapientiæ Divinæ, ambulabimus, quod, nobis ipsa Incarnata Sapientia, suæ vitæ exemplîs, & virtutum splendore accendet, juxta illud Sap: 7: *Deus Sapientiæ Dux est, & Sapientium emendator, in manu enim illius, & nos & sermones nostri & omnis sapientia.* 1mò: Itaq; in Regno Incarnatæ Sapientiæ, sub vexillo illius, militare toto conatu satagemus, armati ejus gratiâ, & humilitatis præsidiô, ad supremum militum ipsius Classem eluctaturi. 2dò: Ab ortu Incarnatæ Sapientiæ, ad progressum ulterioris vitæ, passum extendet Viator Religiosus. *Justorum enim semita quasi lux splendens, procedit usq; ad perfectam diem.* Prov: 4. 3tiò: Tandem ex occasu patientis Incarnatæ sapientiæ, luminosissimam æternarum veritatum, & perfectioris vitæ claritatem derivabit. *Beatus homo* (dicit Spiritus Sanctus:) *qui invenit sapientiam: viæ ejus, viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ* Prov: 3.

C A P U T 1mum.

De Regno, Vexillo & Armatura Incarnatæ Sapientiæ.

§. P R I M U S.

Exponitur Regnum Christi Considerandum.

PRæl: 1: Specta Christum Dominum, Vicos, Oppida, Civitates circumeuntem, & prædicantem Regnum suum. *Præl:*

Præl: 2: Pete gratiam nè obsurdescas, ad vocem, & vocationem Regis tui Christi.

PUNCTUM 1mum.

Rex Christus Dominus, contra hostes suos, invitat ad bellum movendum, totâ vitâ continuandum.

COnsidera, si Rex aliquis divinitus electus, in Principem & Ducem alicujus populi, sapientiâ, fortitudine, & omnibûs aliîs Regiîs dotibûs ornatûs, suaderet suis subditis, ut cum eo, contra rebelles hostes, magna sibi damna, & illis majora inferentes, ad bellum pergerent, promitterétq; verbô Regiô illis, se ad omnia incommoda primum futurum, omnibúsq; & singulis auxilium allaturum, non alio victu, vestitu, se usurum, nisi quibûs illi uterentur, & post victoriam, sui Regni participes facturum. Quid putas, illi subditi responderent, & respondere deberent Regi suo? nonne ultro offerrent se ad omnia? Sed quis ille Rex? Ecce Dominus JESUS Christus, quem Pater Æternus dedit nobis Regem dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, hunc audite.* Venit ille mittere gladium, vúltq; ut moveamus prælia, adversùs mundum, carnem, ac satanam, atq; adversus omnia vitia. Invitat te ad hæc prælia, verbô & exemplô, offert tibi commeatum gratiarum suarum, & annonam Corporis in Eucharistia, ipse prior omnes labores, sudores, & vulnera subiturus. Ipse ad omnia ardua præiturus. Ipse præcessurum se spondet, modò tu sequaris. Ipse tibi exemplum daturus est, omnium agendorum, & tandem se tibi coronam impositurum àppromittit. Vide quid huic Regi respondebis? adinveniesné rationem non sequendi eum? quid te retrahet? quin ejus observes nutus, & directionem? adhucne amori proprio & sensualitati illo suadente bellum non indices? Offer te ad omnia. Protestare quòd nihil velis desiderare, agere, nisi, quòd Dux tuus Christus imperaverit. Hanc ipsam

 prompti-

promptitudinem voluntatis, in omnes Christi nutus pete à Deo. Perfice Domine voluntatem meam, ut nihil aliud velit, nihil aliud desideret, nisi quod tuæ placet voluntati.

PUNCTUM 2dum.

Quid nos movere debeat ad sequendum Christum?

COnsidera ad sequendum in omnibus Christum movere te debet. 1mò: voluntas Patris Æterni, quem ad hunc finem è Cælo misit, ut eum imitaremur. Idem tibi puta dici, quod Moysi: *inspice & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod: 25. Gratias age Deo Patri pro hoc exemplari, pete gratiam humiliter, imitandi Christum constanter. 2dò: movere nos debet, ipse Christus, ad sequendum se invitans; juxta illud. Joan: 13: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis.* Item *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et Joan: 12. *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego illic minister meus erit.* O quanta hæc dignatio! quanta gratia, Rex Cæli & terræ, mihi dicit, fac quod ego, vitam institue, qualem ego. Quis Regum terræ dicit hoc suo ministro? & si diceret, quis non libentissimè id ageret? Cogita itaq; quis te invitet ad sequendum se quàm sit sapiens? qui novit tuã imbecillitatem & necessitates? quàm sit omnipotens, qui potest te in omnibus juvare? quàm sit misericors, ut tibi compatiatur; quàm bonus, mitis &? adhucné non exultas de tali Rege & Domino? adhuc in ejus obsequio languesces? ô bone JESU, nolo alium Regem, nisi te Dominum meum, & Deum, tibi servire, te sequi desidero, trahe me quæso gratiis tuis, ut proximè secundùm mensuram gratiæ tuæ, sequar te.

3tiò: Movere te debet ad hanc imitationem Christi, tui ipsius bonum, in hac enim imitatione consistit perfectio tua, & eò es perfectior, quò illi similior. Deinde hac ratione magis amorem

Christi, tibi concilias, ille enim magis te amabit, & majora do-na conferet, quò similior illi fueris. O Domine JESU illumina me, & omnes homines, ut te cognoscentes & magis amantes, insatiabilî & ardentî desideriô, imitemur te. Noverim me Domine, noverim te, nec aliud quæram præter te!

PUNCTUM 3tium.

In quibus potissimùm imitandus Christus?

COnsidera hæc maximè esse, in quibus Ducem nostrumChristum, imitari debeamus. 1mò: Abnegatio sui quæ consistit, in abdicatione amoris proprii, de quo superiùs meditatio est proposita. 2dò: Amor Crucis, ac fortis generosáq; tolerantia adversitatum, afflictionum, atq; omnium injuriarum undecunq; veniant. 3tiò: In vera Spiritûs paupertate, castitate, & obedientia &c. Vide quantùm in his omnibus profecisti? quàm prope per imitationem ad Christum accessisti? Resolve te ad hæc omnia? & dic:

IN COLLOQUIO.

EN ô Rex Supreme, ac Domine universorum, tuâ ego licet indignissimus, fretus tamen, gratiâ & ope, me tibi penitus offero, meáq; omnia tuæ subjicio voluntati, attestans coram infinita Bonitate tua, in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiúsq; curiæ Cælestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut quàm possum proximè te sequar, & imiter in sufferendis injuriis, & adversis omnibus, cum vera Spiritûs, tum rerum paupertate.

Pater: Ave: &c: An: Christi: &c:

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Tu es ipse Rex meus. *Psal:* 48.

Deus meus es tu, confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te. *Psal:* 117

Tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes Deos. *Psal:* 96. Exal-

Exaltabo te D/us meus Rex, & benedicam Nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi. *Psal*: 144.

Regi sæculorum immortali, & invisibili, soli Deo honor & gloria 1. *Tim*: 1.

Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Salvatorem meum, confitebor Nomini tuo, quoniam adjutor factus es mihi. *Eccl*: 51.

Militia est, vita hominis super terram. *Job*: 1.

Benedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum. *Psal*: 143.

Magister sequar te quocunq; ieris, *Luc*: 14.

Nulla est certior, tutiorq; ratio, recta ac sine errore, ad perfectionis apicem perveniendi, quàm peritum itineris sequi Ducem. S: Xaverius.

Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus & ambules in viis ejus. *Deut*: 26.

§. SECUNDUS.

De Vexillo Christi,

UT clariùs cuiq; innotescat pretium Vexilli Christi, etiam vexillum adversantis Ducis, explicandum est, inde enim quivis intelliget, cui Duci militet, & cujus sequatur consilia.

MEDITATIO

De Duobus vexillis.

PRæl: 1. Statuamus ante oculos mentis, ex una parte Christum, Ducem, sub vexillum Crucis vocantem homines, & ex altera parte Luciferum ad sua castra invitantem.

Præl: 2. Petamus gratiam, ut habeamus exploratas fraudes mali Ducis, & ad illas evitandas, imploremus auxilium, ut semper sub vexillo Christi militemus.

PUN-

PUNCTUM 1mum.
DUX CRHISTUS.

Expenduntur circumstantiæ, personæ, loci, Asseclarum, ac legum Ducis Christi.

1mò: CIrca Personam Ducis Christi, expendendum est, quòd sit speciosissimus formâ, præ filiis hominum, proinde ille unicè amandus. 2dò: Quòd sit sapientissimus, qui scit quando, & quæcunq; expediant. 3tiò: Est potentissimus, in cujus nomine omnes hostes, facilè superantur. 4tò: Est suavissimus & amabilissimus, quia id summè desiderat, ut omnes vitam habeant & abundantiùs habeant, & nullius vult mortem, & quia omnibus suppeditat auxilia, & robur, virésq; addit suis militibus, ut vincant. 5tò: Est veracissimus, & in promissis fidelissimus, cui tutò quisq; credere potest. Quis tali Duci non adhærebit? quis illum non sequetur?

2dò: Circa locum, expendendum. 1mò: Quod juxta Hierosolymam suæ Crucis vexillum erexerit, Dux Christus, ut ostenderet sua obsequia, visionem pacis præstare. *Non est autem pax impiis* & rebellibus. Illis autem qui Christum sequuntur, omnia sunt plena pacis & quietis. 2dò: In campo amæno, hilarem enim & amænum, decet esse Christi servum. Unde S: Pater noster in suis Regulis requirit, ut Societatis Filii serenitatem in vultu præferant, nihil torvum admittant. 3tiò: In proximo passionis suæ loco, castra metatus, ut demonstraret, ex passione sua maxima nobis subsidia, & auxilia, ad fortiter decertandum, cum hostibus provenire.

3tiò: Circa asseclas, & ministros Christi, expendendum est. 1mò: Quòd ministri hujus Ducis, sunt Sancti Angeli quibus de uno quoq; nostrum mandatum est, ut nos custodiant, in omnibus viis nostris, illi nos interiùs excitant, à malo abstrahunt ad bo-

num movent. Videamus ut illis obtemperemus in omnibus. 2dò: Sunt omnes Viri Apostolici, & curam animarum habentes, tum sanâ doctrinâ instruentes, tum bonô exemplô trahentes ad Christi sectanda vestigia. Cui itaq; nondum convenit docere verbô, doceat exemplô.

4tò: Circa leges Christi expendendum, quòd hæ, per omnia sunt contrariæ legibus Ducis infernalis. 1mò: Lex Christi docet, ut ii, qui volunt sequi Christum; in humilitate, suî abnegatione, & contemptu vivant. 2dò: ut Crucem ferant, ut carnem suam cum concupiscentiis crucifigant. 3tiò: Ut mortificationem, in suo corpore, semper portent. 4tò: Ut Christum in omnibus imitentur. Videamus? utrùm non sint consonæ rationi, leges istæ, æstimemus illas, & exequi conemur.

PUNCTUM 2dum.

Dux Infernalis.

IMaginemur intueri nos Ducem impiorum in campo Babylonico constitutum, ut palam sit, solam confusionem & disordinem in vita impiorum inveniri. 2dò: In Cathedra ignea, & fumosa, elatum; semper enim sublimia appetit, & suis persuadet, ignéq; concupiscentiæ ac iræ, suos succendit, atq; fumos vanitatis propinat. 3tiò: Horribilem figurâ, vultúq; terribilem, qui tamen à multis amatur. 4tò: Ministri hujus Ducis sunt, qui tanquam leones circumeunt, quærentes, quem devorent. Sunt item homines mali, sive pravô exemplô alios corrumpentes, sive consiliô malum suadentes, sive à virtute per irrisionem, sugillationem, persecutionem, deterrentes, sive ab observatione legum divinarum, aut humanarum retrahentes, sive tandem principia politica, mundana, instillantes. 5tò: Leges hujus impii Ducis sunt. 1mò: Ut hi, qui eum sequuntur, excutiant jugum Christi, & sinè Deo, sinè lege vivant. 2dò: Ut in omnibus obsequantur suis

cupidita-

cupiditatibus. 3*tiò*: Ut suis inclinationibus sensualibus, ac appetitui serviant, illáq; faciant, ament, desiderent, inquirant, ad quæ illos appetitus suus ducit. 4*tò*: Ut vanitati ac terrenis immergantur,, de æternis non cogitent &c. Quis non exhorrescat ad ejusmodi leges?

PUNCTUM 3tium.

Cui Duci quis adhæreat?

COnsidera 1*mò*: quòd illi Christo adhæreant, qui non acquiescunt carni, & sanguini, qui exuunt omnem mundi, & rerum terrenarum affectum, qui diabolo, & ejus operibus renuntiant, qui Christi insignibûs induuntur, seipsos abnegant, optant contumelias, falsa testimonia, & injurias æquô, ac fortî animô patiuntur, sumunt scutum fidei, virtutem humilitatis, mansuetudinis, aliásq; virtutes colunt, & sectantur, ac leges Christi observant.

Considerandum 2dò: quòd Duci impiorum adhærent omnes peccatores, nempe avari, gulosi, luxuriosi, invidi, iracundi &c. maximé tamen filii superbiæ, hoc est: homines superbi, elati, de se multum præsumentes, sui honoris æstimatores, vanitatis sectatores, ambitiosi, superbia enim potissimùm tenet peccatores in Castris dæmonis, persuadens iis, né humili confessione, peccatorum suorum, excutiant jugum impii ac superbi Ducis.

Expendamus itaq;, sub cujus Ducis signis hucusq; militavimus? Cujus leges implevimus? non fuimusné aliquando ministri, mali Ducis sive malô exemplô alios depravando? sive iniquis, ac perversis principiis imbuendo? sive transgressionem legum persuadendo? sive virtutis alienæ sugillatione, perstrictione, alios à virtute & perfectione avocando? Detestemur impium Ducem, cum ejus legibus, ac operibus, aversemur ejus prava dogmata. Advolvamur plantis Ducis Christi, illi nos totos dedicemus, illum deprecemur. Né projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum né auferas à me. *Pater: Ave:*

Adjutorium nostrum in Nomine Domini, qui fecit Cælum & terram. *Psal.* 123.

Fortitudo & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum. Deus Patris mei, & exaltabo eum. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. *Exod:* 15

Dux fuisti in misericordia tua, populo quem redemisti *Exod:* 15.

Dominus solus Dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus. *Deut:* 32.

Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. *Psal:* 3.

Domine Deus virtutum, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus. *Psal:* 79.

§. TERTIUS.
DE ARMATURA MILITUM.
Incarnatæ Sapientiæ.

QUemadmodum in prælio sæcularis militiæ, nihil sinè armis perfici potest, ità nec sub vexillo Incarnatæ Sapientiæ, quidquam præstatur boni, absq; gratia. Bene de illa Magister Spiritûs Thom: à kemp: de imit: l: 3. c: 55. disserit. *Opus est gratiâ tuâ & magnâ gratiâ, ut vincatur natura, ad malum semper prona, ab adolescentia sua,* Et Inferiùs *Ipsa fortitudo mea, ipsa consilium confert, & auxilium. Cunctîs hostibûs potentior est, & sapientior universîs sapientibûs.* Cùm vero multiplex sit Gratia Dei, hic potissimum de Gratia Sanctificante.

MEDITATIO
De Gratia DEI.

PRæl: 1: Colloca te in conspectu S: Patris Ignatii orantis: Amorem tui, cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis.

Præl: 2. Pete lumen Dei, ad cognoscendam excellentiam gratiæ Divinæ, & illius fervens studium.

PUN-

PUNCTUM 1mum.

Quid Gratia DEI?

COnsidera 1mò: Gratiam sanctificantem esse, vitam supernaturalem animæ, sicut ipsa anima est vita naturalis corporis. Ad hanc gratiam, nobis dandam, Filius DEI, venit in terras, juxta illud. *Ego veni, ut vitam habeant & abundantiùs habeant.* Proinde idem fit cum anima nostra, abscedente gratiâ, quidquid fieri videmus cum corpore, abeunte anima, nam sicut corpus absq; anima, est cadaver omnibus horrendum, & abominabile, ita & anima absq; gratia, fit DEO & Cælitibus abominabilis.

Considera 2dò: Sicut homo cognoscitur vivere per animam ex actibus vitalibus naturalibus, vg. motione, actione, locutione &c. Ità & anima vivit per gratiam, si elicit actus supernaturales, fidei, spei, charitatis, doloris, humiliationis sui &c.

Considera 3tiò: nullum actum nostrum, nullum motum supernaturalem, posse esse meritorium, nisi à gratia, imò quid quid boni solidi & veri in homine est, omnia procedunt à gratia, nam ùt S: Paulus ait: *Gratiâ Dei, id sum quod sum.* Nihilq; habeo aut habere possum, verè æstimabile, nisi gratiam, & id quod à gratia procedit. Vide quanti tu gratiam DEI æstimas? quomodo illam curas? O si cognosceret homo illius pretium, non facile illam perderet, & eam rebus omnibus mundi, ac vitæ suæ præponeret.

PUNCTUM 2dum.

Excellentia Gratiæ DEI.

COnsidera excellentiam gratiæ DEI 1mò: ex eo, quia est beatitudo vera, quæ in hac vita haberi potest, per illam enim possidemus Deum, & possidemur à Deo. 2dò: quia per illam efficimur filii Dei adoptivi, & ratione illius accipimus jus ad gloriam Cælestem, tanquam hæreditatem filiis debitam. 3tiò: quia per

gratiam constituimur amici DEI, juxta illud Joan: 15. *Vos amici mei estis.* 4tò: quia per gratiam DEI, tantam acquirit anima pulchritudinem, ut omnes aliæ creatæ pulchritudines, nec comparari illi queant. 5tò: quia gratia verè divitem facit animam; per illam enim comparatur vita æterna. Ex his infer, quantum æstimare debeas gratiam Divinam, quantô illam studiô & diligentiâ curare, atq; in ejus conservatione desudare. Et tu nonné sæpius illam pro modica voluptate, aut aliis nugis commutâsti & perdidisti?

PUNCTUM 3tium.

Conservatio Gratiæ Divinæ.

COnsidera, quàm solicitam curam adhibere debeas, ut gratiam DEI, in te conserves? prout sapiens monet Prov: 4. *Omni custodiâ serva cor tuum, quia ab ipso vita procedit.* Et certe, si cor hominis naturale, tantô costarum & pectoris murô, est munitum, certò cor rationale, id est voluntas gratiâ DEI ornata, multò fortius muniendnm est; quia gratia, id est vita supernaturalis, longè præstat naturali, & vita æterna momentaneæ. Omni itaq; custodiâ servanda est hæc vita, atq; animæ thesaurus; præsertim cum illum in fictili vase portemus, inter tot occasiones, pericula, & hostes. Sequamur Consilium Climaci, qui jubet constituere ante anuam cordis, Custodem, DEI timorem, qui nihil illicitum permittat intrare, nec ipsum cor in amores inordinatos diffluere. Vide, quam tu vigilantiam adhibeas supra cor tuum, quos Custodes constituisti gratiæ Divinæ, ne illâ priveris? Deplora defectus & negligentias tuas. Pete gratiam à DEO, custodiendi semper cordis tui.

IN COLLOQUIO.

O! Domine da mihi sanctum timorem tuum, ut semper custodiam legem tuam, ut moriar potius millies, quàm perdam gratiam

tuam

tuam poſside me, & regna in me. Salvum fac ſervum tuum in gloria DEUS meus ſperantem in te.

Pater: *Ave*; *Anima Chriſti*.

ACTUS EJACULATORII.

AMorem quæſo tui, cum gratia tua mihi dones & dives ſum ſatis. *S: Ign:*

Gratiâ DEI ſum id, quod ſum. 1. *Cor*: 15.

O! beatiſsima gratia quæ pauperem ſpiritu, virtutibus divitem facis, & divitem multis bonis, humilem corde reddis. *Tho: à Kemp: l: 3: c.* 55.

§. QUARTUS.

DE PRÆSIDIO MILITUM.

Incarnatæ Sapientiæ.

AB humilitate præſidium petat, quiſquis ſecuritati ſuæ conſulere tutò velit. Audiamus S: Chryſoſtomum hom: 20: in act: Apoſt: de illa diſſerentem: *Nihil humilitate potentiùs, fortior eſt petrâ, ſolidior adamante, & in majori ſecuritate nos collocat, quàm queant, vel turres, vel urbes, vel muri; omnibúsq; diaboli machinamentîs ſublimior facta, inſuperabiles facit.* Addit S: Greg: lib: moral: *Perit omne, quod agitur, ſi non in humilitate ſolidatur.* De illius itàq; gradibus ſit.

MEDITATIO

De Tribus Gradibus humilitatis.

PRæl: 1. Conſtitue te ad pedes Chriſti Crucifixi, exinaniti propter nos uſq; ad mortem Crucis.

Præl: 2. Pete gratiam rectè cognoſcendi gradus humilitatis, & eos conſequendi.

PUN-

PUNCTUM 1mum.

1mus humilitatis gradus.

COnsidera primum humilitatis gradum, consistere in hoc, ut quamcunq; legem, sive divinam, sive humanam, obligantem sub peccato mortali, sanctè observemus, per quod humiliemur sub potenti manu DEI. Talis enim observatio mandatorum graviter obligantium, est vera humilitas, quia est subjectio creaturæ rationalis, suo Creatori, tanquam supremo Domino & Legislatori, cum recognitione supremæ ejus potestatis. Videamus itaq; utrùm non ustum sit, ut omnia Dei mandata servemus, præsertim: cum iis tantùm promittat vitam æternam, qui ea servant usq; ad finem. Debemus itaq; illum habere animum, illud decretum, ut etiam oblatô totius mundi dominiô, & abjecto vitæ discrimine, non resolvamus nos, ad transgressionem ullius præcepti, graviter obligantis, sive cogitatione, sive verbô, sive opere. Obfirmemus igitur, cor & mentem nostram, ut nunquam mortaliter peccare velimus. Audiamus Christum in Evangelio dicentem. *Qui diligit me, mandata mea servabit.* Petamus ad id auxilium & gratiam DEI, offeramus nos potius ad omnia patienda, & ad ipsam mortem, quàm ut amplius violemus, mandata DEI, subjiciamus nos DEO nostro, tanquam Legislatori & supremo Domino.

PUNCTUM 2dum.

2dus Humilitatis Gradus.

COnsidera 2dum humilitatis gradum consistere, ut quisq; fixô animô ad divitias & paupertatem, honorem & ignominiam, brevitatem vitæ & longitudinem, æquè sit propensus, ubi æqualis est Divinæ gloriæ, & propriæ salutis occasio, utq; in nullo casu, sive creatæ felicitatis jactura, sive mortis conditione proposita, adducatur quisq; ad committendum etiam peccatum veniale. Ità enim subjectus quisq; vivere DEO, supremo Domino suo, debet, ut nun-

nunquam deliberatè velit committere peccatum veniale ob ullam rem creatam. Vide, utrùm talis ſit tuus animus. Staſné in hoc gradu humilitatis, & ſubjectionis tuæ erga Deum? Excites te ad odium peccati venialis his motivis.

1mò: quia per illa offenditur Divina Majeſtas. 2dò: quia maculat animam, redditq; indignam conſpectu DEI. 3tiò: quia minuit fervorem charitatis, & impedit profectum ſpiritualem. 4tò: quia ſternit viam ad mortale. 5tò: quia debilitat vires voluntatis, ut nequeat & multa bona agere, & fortiter tentationibus reſiſtere. 6tò: quia aufert veram animi pacem. 7mò: impedit lumina Spiritûs Sancti. 8vò: quia venialibûs offenditur perſæpe proximus, & læditur charitas.

Hiſce & aliis motivis, excita te ad firmum propoſitum non peccandi venialiter deliberatè. Pete ad id gratiam Omnipotentis Dei.

PUNCTUM 3tium.

3tius Humilitatis Gradus.

CONſidera 3tium humilitatis gradum conſiſtere in hoc, ut licet laus DEI par foret; ob amorem tamen & imitationem Chriſti, eligam potiùs cum eo paupere, ſpreto, illuſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem. Hic eſt ſupremus gradus perfectionis, & perfecta imitatio Chriſti, in heroicis virtutibus. Excita te ad eum conſequendum. 1mò exemplô Chriſti, à juventute in laboribus, & doloribus uſq; ad mortem. 2dò: quia omnia, quæ tibi etiam graviſsima in vita occurrerint, ſunt divini amoris in te argumenta, *quos enim amat, caſtigat*, ut ſic abſtrahat à terrenis, purget à vitiis & exerceat in virtutibus. 3tiò: quia majora & graviora, merentur tua peccata. 4tò: hac via Chriſtus & omnes Sancti proceſſerunt & ad vitam æternam pervenerunt. Tuné vis alium tra-

mitem tenere, & non errare. Roga Christum, ut te trahat post se, quò sic curras, in odorem exemplorum ejus.

COLLOQUIUM.

CUm Sanctissima Trinitate, petens ab ea spiritum bonum, spiritum humilitatis perfectissimæ.

O! Pater misericordiarum, DEUS totius consolationis, da mihi spiritum bonum petenti: spiritum perfectæ humilitatis. Fili DEI Unigenite, qui spiritum tuum reddidisti in manus Patris, da mihi spiritum promissum à Patre.

Veni Sancte Spiritus, & emitte Cælitùs, lucis tuæ radium.

Pater: Ave: &c: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

VIlior fiam plus, quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, & gloriosior apparebo. 2. *Reg*: 6.

Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis. *Psal*. 71.

Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. *Psal*. 137.

Sacrificium DEO Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. *Psal*. 50.

Absq; demissione animi, perfectaq; tui ipsius cognitione, nec tibi nec aliis prodesse poteris, nec Deo charus eris, nec dignus, quem Societas JESU diutius ferat *S. Xaverius*.

Elegi abjectus esse in domo Dei, magìs, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. *Psal*. 83.

Humiliare DEO & expecta manus ejus. *Eccl*. 23.

Gloriam præcedit humilitas. *Prov*. 15.

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI
Supra Memoriam Intellectum & Voluntatem

Collocatus ad pedes Crucifixi, petes gratiam fructuosæ Reflexionis, supra potentias animæ, donúmq; utendi illis perfectè

MEMORIÆ BONUS USUS.

1. EXpungatur de tabulis memoriæ, omnis, mundi, rerumq; secularium species. Tradantur oblivioni Consanguinei, amici, Socii, Parentes, nisi in sola ad Deum, pro illis Oratione memorandi. Obliterentur imagines commoditatum, notitiarum, occupationum, quibus in mundo distrahebamur. Omnium deniq;, quæ retro sunt, obliviscamur. Vide, utrùm hucusq; cogitatione non verseris domi? utrùm exclusisti de memoria, rerum præteritarum species? an illas etiam in Colloquiis ultrò non renovas? Elue hæc omnia sanguine JESU, de vulneribus fluente, sepelias memoriam omnium sub pedibus Christi Crucifixi.

2. Sæpiùs renovanda memoria peccatorum præteritorum cum magna animi amaritudine & dolore, sæpius juventutis delicta lacrymîs eluenda. Frequentiùs cum pænitente Davide ingemiscendum: *Peccatum meum contra me est semper. Psal.* 50.

3. Non infrequenter usurpanda est memoria novissimorum, mortis, judicii, Inferni, æternitatis, ad quam nos excitat Spiritus Sanctus. Eccl: 7. *Memorare novissima & in æternum non peccabis.* Designa tibi tempora, quibus eorum memoriam refrices vg: dum horam audis, dic: O hora quomodo transiîsti! o! mors, quando & quæ continges? o! æternitas quando & quæ venies?

4. Exercenda item memoria in jugi ubiq; præsentis Dei intuitu & consideratione, ut cum Psalte meritò gloriari quisq; valeat. *Providebam Dominum iu Conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, nè commovear. Psal.* 15. Similiter in contemplanda

effigie Christi Crucifixi, ùt monet Spiritus S: *Gratiam Fidejussoris, nè obliviscaris, posuit enim pro te animam suam.* Eccl: 29.
Tandem Beatissimæ & Sancti Angeli Custodis, ubiq; tibi assistentis.

Intellectûs bonus Usus.

1. AMovendæ sunt ab intellectu vanæ apprehensiones & contemnendæ, nec ex illis absq; justo fundamento formanda de rebus judicia; unde perturbationes descendunt in animam mæroresq; ac vani timores.

2. Intellectus assuefiat judicare de rebus, juxta cujusq; meritum, nè pluris æstimet media, quàm finem, non magis temporalia, quàm æterna, bona corporis, quàm Spiritûs. In majore pretio habeat Deum, quàm creaturas.

3. Intellectus debet esse ornatus luminibus Divinis, hoc est notitiâ de rebus ad Deum & animam spectantibus. Hæc autem lumina trahuntur ex Sanctis meditationibus, ex lectione librorum Spiritualium, ex diligenti Sacrarum Concionum aut Exhortationum auditione, ex Colloquiis cum Patre Spirituali.

4. Ad intellectum spectat, ut rectè voluntatem dirigat, tanquam dux Cæcum, id autem præstat repræsentando ei pulchritudinem virtutis, peccatorum enormitatem, retrahendo illam à malo, & urgendo ad amplectendum & faciendum bonum: juxta consilia & doctrinam Christi in Evangelio expressam, & non ex principiis mundi falsis.

Voluntatis bonus Usus

1. Nihil inconsideratè, nihil ex impetu naturæ, & inordinatè amplecti debet, sed omnia ex Consilio rectæ rationis & juxta debitum rerum ordinem.

2. Voluntatis intentio, debet esse recta in omnibus, non suum commodum, aut gustum aut laudem prospiciens, sed solam Dei gloriam ejusq; beneplacitum.

3. Debet item voluntas omnia terrena contemnere proptet Deum, & plura agere ac pati.

4. Debet item voluntas nostra, semper subjici voluntati Dei, eiq; conformari, ejus Providentiæ ac dispositioni se regendam tradere, cum omni indifferentia ad res omnes.

5. Debet esse constans in bono perficiendo, nec sit velut arundo quovis vento agitata, aut folium, quod minimo etiam auræ flatū rapitur.

§. QUINTUS.

DE TRIPLICI CLASSE.

Militum Incarnatæ Sapientiæ.

EA militantium sub vexillo Incarnatæ Sapientiæ indoles esse debet, ut quacunq; non contenti virtute, ad summum perfectionis contendant eluctari gradum, & inter primos in Castris Heroës, quibus nec labor gravis, nec pati difficile, censeri velint, & certè ut Tho: à kemp: l: 3: c: 3 ait: Si pro vana re, die noctuq; fatigari non timetur; proh dolor! pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritabitur?

MEDITATIO

De tribus religiosorum Classibus.

PRæl: 1: Colloca te ad Pedes Christi docentis viam perfectionis, & proponentis media salutis.

Præl: 2. Pete gratiam à Deo, per quam illumineris, quomodo in negotio salutis & perfectionis gerere te debeas.

PUNCTUM 1mum.

1ma Classis Religiosorum.

COnsidera, sicut in quolibet statu, variæ sunt Classes hominum de sua salute cogitantium, quorum aliqui negligenter, alii accuratiùs

curatiùs, alii adhuc ferventiùs illam curant. Ita in cætibus Religiosorum, non omnes Religiosi æquali passu ad perfectionem contendunt. Unde S: Pater Ignatius, tres illorum classes assignat. In prima Classe illi constituuntur, qui cupiunt expugnare suî amorem, desiderant extirpare vitia, acquirere virtutes v. g. patientiam, humilitatem, castitatem, obedientiam &c. Vellent subjecti Deo vivere, nulla tamen ad id consequendum media adhibent, nullam difficultatem frangunt, & præter inania desideria, nihil aggrediuntur salutarîs. Optant esse patientes, sed nullam volunt tolerare injuriam. Vellent esse subjecti, sed nullas leges observando. Et hi sunt similes illis infirmis, qui ita appetunt sanitatem, ut respuant medicinas omnes, quibus, si non utantur, nulla ratione sanari possunt. Sunt similes illis sauciis, qui curari exoptant, nullatenus tamen membri corrupti & pestilentis in reliquum corpus virus suum diffundentis, abscissionem pati volunt. Sunt item similes illis naufragantibus, qui ex naufragio enatare volunt, tabulam tamen sibi oblatam, quâ salventur, nunquam arripiunt, & sic miserè pereunt. Sunt deniq; similes illis militibus, qui intendunt referre victoriam de hostibus, nolunt tamen arma sumere, & cum eo decertare. Vide tu, utrùm non consistas, in horum numero? adhibesné media ad perfectionem consequendam necessaria? servasné tuæ Religionis Regulas? vivisné ex præscripto illarum? Exequerisné illa, quæ toties proponis in Confessionibus, & meditationibus? Erubesce tuam ignaviam. Excita te ad bona opera & exequenda proposita?

PUNCTUM 2dum.

2da Classis Religiosorum?

COnsidera in 2da Classe illos esse Religiosos, qui plura quidem agunt, multa sustinent, ad acquirendam perfectionem media adhibent, omnia tamen ex suo sensu & arbitrio, non ex directione &

ne &

ne & ordinatione Ducis sui, imò eum ad vota sua trahere student. Proinde ea tantùm ad obtinendam salutem, & perfectionem suam media adhibent, quæ, & quando, & quatenus sibi placent; pro libitu suo vivere volunt, sinè directore, sine monitore, sine punitore. Tamdiu item sunt quieti in Religione, quamdiu omnia ad mentem suam habent, sive à Superioribus sive ab æqualibus. Ubi autem aliquid acciderit contrarium suo sensui, commodo, reputationi, omnia querelis, murmurationibus, doloribus implent, fautores suæ causæ inquirunt, quasi non sufficeret illis, solis esse malis. Tandem volunt quidem placere Deo, sed ita, ut simul placeant & hominibus. Volunt obire officia, sed ita, ut suo honori nihil decedat, alioquin impatientes erunt, animum abjicient, neglectim omnia agent. Tales Religiosi similes sunt ægris, qui cupiunt sanari, & medicinas sumere volunt, sed illas tantùm, quæ sibi sapiant, & placeant, non quas medici præscribunt, quò fit, ut in majus periculum incidant. Tu Religiose, si vis sincerè perfectus vivere, & tuam salutem verè intendis obtinere, hæc media usurpa, quæ tibi in Regulis præscribuntur, non quæ amor proprius excellentiæ, aut commoditatum dictat. Itané hucusq; fecisti? propone.

PUNCTUM 3tium.

3tia Classis Religiosorum.

CONsidera 3tiam Classem Religiosorum, qui strenuè contra amorem, & vitia decertant, studio perfectionis sedulò incumbunt, & media à Religione præscripta accuratè observant. Juxta voluntatem Dei, & Superiorum dispositionem vivunt, sui abnegationem in omnibus quærunt, solidarum virtutum exercitio student, & quidem purè ob gloriam & beneplacitum Dei. In nulla re seipsos, aut aliquam creaturam, sed Deum propter Deum quærunt. Tales Religiosi sunt optimé constituti, suntq; juxta Cor Dei, &

verè

verè Religiosi. Et tu Religiose ut sis talis, excita te his motivis, 1mò: quia tales, siquidem non à suo placito & arbitrio, sed à sola Dei Providentia pendere volunt, semper per vias rectas, ducuntur ad omnem perfectionem, & errare non possunt. 2dò: Quia stabiles & firmi sunt in sua vocatione, studioq; virtutum. 3tiò Quia efficiuntur aptissima Dei instrumenta, ad suam & proximorum salutem procurandam; cum enim non quærant, quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi, & soli Deo fidant, Deum habent in omnibus speciali modo cooperatorem. 4tò: Quia fruuntur perpetua animi tranquillitate. 5tò: Quia conformantur Christo, qui venit non suam voluntatem facere sed Patris. Exhibeamus itaq; nos tanquam ministros Dei, per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, à dextris & sinistris.

COLLOQUIUM.

DIc affectu Christi in horto Getsemani orantis: Pater non mea, sed tua fiat voluntas. Vel cum S: Paulo: Domine, quid me vis facere? Item ora Christum: Cognitor omnium Domine, qui omnes electos tuos nôsti, adnumera me illis, pone me Magister bone in Classe servientium tibi perfecto corde, né frustrem vocationem meam.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

OBsecro vos ego, vinctus in Domino, ut digné ambuletis vocatione, quâ vocati estis. *Ephes:* 4.

In toto corde meo, exquisivi te, ne repellas me à mandatis tuis. *Psal:* 118.

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu *Psal:* 142.

Qui aliud quærit, quàm Deum & animæ suæ salutem, non inveniet, *nisi* tribulationem & dolorem. *Thom: à kemp: l:* 1, *c:* 17.

CA-

CAPUT 2dum.

De Ortu & Progressu Incarnatæ Sapientiæ.

UT viator Religiosus faciliùs feliciùsq; progrediatur in via Cælestis Sapientiæ, sedula investiget Consideratione vias Incarnatæ Sapientiæ, quæ, de seipsa enuntiavit: *Ego sum via, veritas & vita.* Et 1mò Incarnationem ejus expendat 2dò. Nativitatis circumstantias exploret, indeq; imitationis formam accipiat. 3tiò: Fugam illius prosequatur in Ægyptum. 4tò: Privatam ejusdem vitam introspiciat. 5tò: Tandem prodeuntem in publicum, & populo prædicantem consideret, & salutaria loquendo imitetur.

§. PRIMUS.

Expenditur Incarnatio Sapientiæ.

TRia hic potissimùm discenda, 1mò: Quid Incarnatio? 2dò: Quæ illius causa? 3tiò: Quæ perfectiones divinæ potissimùm manifestantur per Incarnationem? quibûs satisfaciet.

MEDITATIO

De Incarnatione Filii Dei.

PRæl: 1. Constitue te coram Sanctissima Trinitate; consultante de reparatione hominis per peccatum perditi, decernenteq; Incarnationem Filii Dei.

Præl: 2. Petitio gratiæ ad cognoscendum intimè Mysterium Incarnationis, indeq; ferventiùs amandi Deum, & studiosiùs serviendi eidem.

PUNCTUM 1mum.

Quid Incarnatio?

COnsidera Incarnationem Filii Dei esse descriptam, in illo Evangelio, in quo dicitur, Rex fecisse nuptias Filio suo. Pater enim Æternus misertus humani generis depravati per fraudem dæmonis, & misere pereuntis, misit Filium suum Unigenitum, ad

ſublevandum hominem, deſponſariq; fecit cum natura humana per unionem hypoſtaticam, ita, ut unus idemq; Chriſtus eſſet Deus & homo, per quam Incarnationem Verbi, elevata eſt natura humana ad ſummam dignitatem, & excellentiam Dei. Vide ô homo! quantùm te Deus dilexit, qui, né perires, Filium ſuum Unigenitum, inter alia dona tibi dedit. *Sic Deus*, ait Evangeliſta, *dilexit mundum, ut Unigenitum ſuum daret.* Sic te adamavit Filius Dei Unigenitus, ut ſeipſum pro te, in Sacrificium Patri Æterno offerret. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Sic Spiritus Sanctus tuam ſalutem appretiavit, ut ipſe Salvatoris ac Redemptoris tui corpus in Utero Virginis de Sanguine ejus puriſsimo formaverit. Quis non obſtupescet, ad tantam divinæ Bonitatis dignationem? nonné æquum eſt, ut cum Pſalmiſta quisq; admirabundus dicat! *Quid eſt homo! O Deus! quia ſic magnificas eum, aut quid eſt Filius hominis, quia ſic apponis erga eum cor tuum?* Adora Sanctiſsimam Trinitatem. Gratias age pro tanto beneficio amoris, ſtude redamare ſemper amantem te Deum.

Cogita item, quàm reverenter debeas habere naturam humanam, quam ſic Deus in ſuo Filio elevavit. Ideo enim Deus factus eſt homo, ut homo particeps fieret naturæ Divinæ, ſicut ergo non decet, ut Regiæ dignitati admotus, ad paſcendos porcos, aut ſiliquas porcorum deſcendat, ita non decet, ut tu naturæ hujus, quæ eſt in Chriſto dignificata, proſtituas iniquis facinoribus dignitatem. Vide, utrùm illam in te non profanâſti? Erubeſce, deplora, deprecare Deum, ejura omnia indigna. Contende gratus vivere Chriſto, per ejus imitationem.

PUNCTUM 2dum.

Quæ Cauſa Incarnationis?

COnſidera varias cauſas Incarnationis Filii Dei 1ma eſt: ſicut Deus, in puniendo Angelorum peccato, manifeſtavit ſuam Juſtitiam,

stitiam, ita etiam, in salvando & redimendo homine, per Filii sui Incarnationem & passionem, voluit ostendere divitias misericordiæ suæ, & infinitæ charitatis. Ideo autem misericordiam in homine ostendit: Tum quia hic fraude serpentis inductus est ad peccandum. Tum quia alii homines non propriâ, sed sui Parentis malitiâ peccârunt. Tum quia, ne Deus frustraretur suo fine, ob quem, hominem condiderat, si nemo salutem consequeretur.

2da causa est: quia non potuit Deus efficaciùs suum Regnū propagare, & firmare in cordibus hominum, quàm per hanc excessivam charitatem Incarnationis Filii DEI. Porro Regnum DEI, in his duobus potissimùm consistit, nempe, ut homines cognoscant Deum, & ejus perfectiones. Deinde, ut ex sincero amore, voluntariè se illi subjiciant, eiq; serviant.

3tia: ut per Incarnationem Filii DEI, manifestata DEI in nos charitas efficacissimè nos excitet, ad Deum ex toto corde, & viribus amandum. Vide jam, quomodo gratus vivis, pro tanta Dei misericordia? Regnatne in te Deus? regnatne in tuis cogitationibus, in tuo corde & affectibus, in tuis operibus? Reflecte te, quomodo, & an in te sunt subjecta omnia voluntati DEI? Excitavitne te tantum DEI beneficium, & amor, in suî amorem. Erubesce. Deprecare Deum. Elice actum amoris DEI, super omnia, & dic: Tu Domine scis, quia amo te, & desidero magis, ac magis amare Te.

PUNCTUM 3tium.

Quæ perfectiones Divinæ potissimùm manifestantur per Incarnationem?

Onsidera 1mò: per Incarnationem innotescere 1mò: Infinitam Bonitatem Dei, quâ se summè communicat naturæ humanæ, dum eam, in unam personam conjungit, & cum toto genere humano cognationem contrahit.

2dò: Innotuit charitas DEI in nos, neq; enim Deus majus donum potuit dare homini, quàm cum dedisset Filium suum, &, si hunc dedit, ùt dicit Apostolus, quomodo non omnia nobis cum eo donavit?

3tiò: Innotescit misericordia DEI, quâ ipse in persona sua, ad miserias nostras reparandas, descendit, earúmq; particeps fieri dignatus est.

4tò: Innotescit Justitia, quâ in se debita peccatorum nostrorum transtulit, & pro illis, ex rigore Justitiæ superabundantissimè satisfecit.

5tò: Manifestatur Omnipotentia, per quam fecit Deus tam admirandum opus, ut Deus fieret homo, & homo Deus.

6tò: Ostenditur Sapientia Dei, adinveniens modum, res adeò dissitas, ùt sunt Deus & homo, æternum & temporale, immortale & mortale, possibile & impossibile, ita arctè in unam personam conjungendi. Item conciliandi infinitam misericordiam cum infinita justitia.

7mò: Tandem innotuit infinita Sanctitas, & aliæ virtutes, dum Deus homo, factus est nobis exemplar omnis sanctitatis, & perfectionis, omniúmq; virtutum ad imitandum.

Adora has omnes Dei perfectiones, lauda Deum ob illas, ama eas, gratias age, quòd te Verbum Incarnatum, in illarum cognitionem deduxerit. Desidera & à Deo pete, ut illas, omnes homines cognoscant, & ament Deum ob eas. Stude imitari perfectionem Christi Domini.

COLLOQUIUM.

AD Sanctissimam Trinitatem, gratias agendo Patri æterno; quòd Filium suum miserit ad tuam salutem procurandam. Filio Dei, quòd se demiserit ad nostram infirmitatem. Spiritui Sancto, quòd supervenerit in Beatissimam.

Bene-

Benedicta sit Sancta Trinitas, & indivisa Unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum magnam misericordiam suam. Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.

Pater; Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

NOnne Deo subjecta erit anima mea? quoniam ab ipso salutare meum. *Psal: 61.*

Videns Deus homines omnino carnales effectos, tantum eis dulcedinis, in carne exhibuit, ut durissimi cordis sit, quisquis eum affectu toto, non diligit. *S. Bern: in serm:*

§. SECUNDUS.

De Nativitatis Circumstantiis.

DUplici Meditatione examinabuntur circumstantiæ Nativitatis Incarnatæ sapientiæ, ex quibus Viator Religiosus progressûs & perfectionis suæ formam habere poterit. 1ma Meditatio indagabit, cur Christus natus? cur ei non erat locus in diversorio? Cur nascatur in stabulo? 2dà; Conformabit vitam Religiosi, nascenti Incarnatæ Sapientiæ.

MEDITATIO. 1ma.

De Nativitate Christi.

PRæl. 1. Colloca te in stabulo Bethléémitico, ad præsepe Domini tui pro te nati.

Præl. 2: Pete gratiam fructuosæ meditationis, de Nativitate Christi, ut tu quoq; Deo renascaris.

PUNCTUM 1mum.

Cur Christus natus?

COnsidera causas Nativitatis Christi. 1ma: Est Filius DEI, qui ab æterno ex Patre genitus est, DEus de Deo, consubstantialis Patri, voluit in tempore nasci homo, ex Virgine Ma-

 tre,

tre, ut & homo, qui semel natus est mundo, iterum renascatur Deo. Juxta illud Christi, Ioan: 3: *nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre Regnum Dei.* Vide, quomodo tu renatus es Deo, cogitatione, affectu, verbô, opere? Relucetne Deus in omnibus tuis intentionibus, operibus? &c. Stude renasci per omnia Deo, ut nihil, nisi Deum spires.

2da Est, quia voluit ostendere, quòd Dei deliciæ sint, esse cum Filiis hominum. Et tu cur alibi, quàm in Deo tuas quæris delicias? Contemne omnia, ut soli Deo per amorem uniaris.

3tia: Factus est Filius Dei caro, ut hominem à carne abstraheret, jamq; homo non nisi ea saperet, quæ sunt Spiritûs? Et tibi sapiuntne Spiritualia? non adhæresne carni, & ejus commodis?

4ta: Filius Dei factus est homo, ut tu desinas esse vetus homo, sed ambules in novitate vitæ.

5tà: Descendit in terram, ut hominem ad Cælum elevaret, neglectîs terrenîs. Vide, utrùm jam cor abstraxisti à terrenis? an tua conversatio sit in Cælis?

6ta: Natus est, ac datus nobis parvulus, ut securiùs ad eum accedamus. Et nos in oculis nostris aliorumq; optemus fieri parvuli. Expende, an hos omnes fructus Nativitas Christi in te obtinuit. Esne parvulus in oculis tuis? accedisne fiducialiùs ad parvulum JEsum? Ah JESU mi! quidnî toto me evolem in amplexum tuum, qui tam benevolè ad me descendere dignatus es. Relinquo omnia, te sequor, ad te propero, tibi toto me adhærere cupio.

PUNCTUM 2dum.

Cur non erat ei locus in diversorio?

CОnsidera 1mò: Ex eo id factum, quia diversorium solùm propter hospites, quò divertunt, aliò transituri, & non semper mansuri. Deo autem homini, non est congruus ille locus, ubi hospitem

ſpitem duntaxat agere cogitur. Diſplicet Deo tale cordis domicilium, in quod ita recipitur, ut expediatur. *Domum tuam decet Sanctitudo, in longitudinem dierum.* dicit *Pſaltes Pſal;* 29. Et tua mens qualis? conſtanterne ſervit Deo? longiùſne cogitatio tua cum Deo moratur?

2dò: Quia diverſorium à divertendo dicitur ex eo, quòd à recta via divertunt hoſpites; averſatur Deus tales flexuoſitates, ad eos non niſi ſe recipit, qui recto ſunt corde. Examinet quiſq; ſuum cor ſincerum ad omnes?

3tiò: Quia in diverſorio frequenter jurgia, clamores audiuntur; in tali autem loco, non eſt locus infanti Deo. In pace enim locus ejus.

4tò: Quia in diverſorio nunquam locus mundus conſervatur, ſed ſemper novis hoſpitibus advenientibus, novæ ſordes advehuntur. Deus autem amat munditiem, illi cordi adhæret, quod purum eſt, juxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt.*

5tò: Quia in diverſorio omne genus hominum & brutorum hoſpitatur, omnia autem excludere debet, qui Deum ſuo in corde recipere deſiderat, juxta illud Pſalmi: *Quid mihi eſt in Cælo? & à te quid volui ſuper terram, præter te Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum?* Examina conſcientiam, & cor tuum, an in iis non reperitur aliquid ex his, quòd excludat Jeſum. Vide, quanta puritas? quanta quies cordis? non admittitne vanas perturbationes? Cogita, an ſoli Deo cor & mens tua pateat?

PUNCTUM 3tium.

Cur naſcitur in ſtabulo?

CONſidera Chriſtum naſci in ſtabulo, ex eo. 1mò ut advertat homo, ad quam vilem, & infelicem ſortem eum detruſerit peccatum, ex ſublimi filiationis Dei ſtatu, cum illum brutis ſimilem

effecerit accinente Psalte. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est brutis insipientibus.* Quærit itaq; eum Deus infans inter bruta.

2dò: Nascitur Filius Dei in stabulo, né etiam animalis homo, ab eo deterreatur, sed fiducialiùs ad eum accedat, in spiritualem evasurus.

3tiò: Ut nos doceret contemptum mundi, ejusq; vanitatum, honorum, æstimationum, commoditatum. Potuit Christus nasci in Regum penetralibus, in divitum Palatiis, omnibus affluens commoditatibus; potiùs tamen elegit pauper & humilis in loco vilissimo nasci. Imitarisné Christum, in electione omnium, quæ domi vilissima fuerint ad tuî usum, prout Regula docet? non appetisné potius honoratiora, excellentiora? vide, ut Spiritu Christi vivas, si vis ejus inveniri. Pete eundem spiritum ab ipso parvulo Jesu.

COLLOQUIUM.

CUm Beatissima, rogando, ut emundet cor tuum, illudq; præparet suis affectibus ad recipiendum Jesum, ac tandem ut illum reponat in corde tuo, foveat & conservet. Accede item ad parvulum Jesum & dic: O JESU DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum, nihil quidem est abjectius & sordidius corde meo, ad complementum tamen dignationis tuæ, ut non habeas, quò te ampliùs demittas, recipio & reclino te in corde meo. O cor meum! tempus est, ut immuteris, jam abhinc nihil spira, & nihil respira, nisi Jesum.

Pater Ave: &c. Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. *Isa.* 7.
Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. *Joan.* 1.
Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Psal.* 44.

Ipse

Ipſe ſalvum faciet populum à peccatis eorum. *Matth:* 1.
Eſſe ſine JESU gravis eſt infernus, & eſſe cum JESU, dulcis Paradiſus. *Tho: à Kemp: l: 1. c. 8.*
Ex omnibus caris, ſit Jeſus ſolus dilectus ſpecialis. *Th: à Kem: l. 1. c. 8.*
JESU tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine.

MEDITATIO 2da.

De Imitatione Christi nati.

PRæl: 1: Statuamus nos in ſtabulo Bethleemitico, ſpectando Ideam vitæ Religioſæ, in Chriſto infante.

Præl: 2: Petenda gratia, conformiter Chriſto vitam Religioſam ordinandi.

PUNCTUM 1mum.

Vita Religioſa debet eſſe conformis Chriſto, in præſepio, depoſito.

EXpendendæ omnes circumſtantiæ vitæ Religioſæ, in Chriſto adumbratæ. 1mò: habitatio ejus in oppido ignobili, extra civitatem in antro ſtabuli. Ergoné Religioſus tantùm ſpecioſas expetet Civitates & manſiones? 2dò: Lectus ejus durum præſepium. Ita & Religioſus non debet mollia ſectari. 3tiò: Infans Jeſus in pervio ventis ſtabulo reclinatus. Sic & Religioſus, injurias ventorum ac frigoris ſuſtinere debet, & illis ſufferendis aſsueſcere. 4tò: Infans Chriſtus modico lacte paſcitur. Ità & Religioſus modicô cibô contentari debet, nec exquiſitas affectare dapes. 5tò: Infans Chriſtus ejectus ab hominibus non habens locum in diverſorio. Nec Religioſus appetere debet acceptationes apud homines, potiúſq; illius deſiderium ſit pro nihilo haberi & ab omnibus contemni. 6tò: Infans Deus homo, inter bovem & aſinum, ut Religioſus diſcat ruditatem hominum aggreſtium ſufferre, & cum illis potiùs, quàm cum magnatibus converſari. Examinemus jam vitam noſtram: utrùm in his ſingulis punctis conformetur Chriſto Infanti?

PUNCTUM 2dum.

Vita Religiosi debet esse conformis Christo Infanti fasciis ligato.

EXpendendum est 1mò: Quòd Christus voluit, ligari fasciis, ut nos in libertatem Filiorum Dei assereret, & a vinculis peccatorum liberaret. Videat quisq; Religiosus, quomodo ei hæc libertas filiorum Dei arrideat? utrùm se novis peccatorum vinculis non implicet? variis occasionibus & periculis se ipsum exponendo. Expendendum 2dò: Infans JESUS habet ligatas manus, & tu Religiose patierisné tuas esse dissolutas? Cur illas non religat Regula Sancti Patris, de non accipiendo, & non dando quovis, sine facultate? cur non adstringit Regula de tactu, quam quoties violâsti? Expende: Cur manus tuas non detinet Regula de modestia? ut manus tuæ in incessu non sint dispersæ, aut seminantes, nihil aliud, nisi solos defectus collecturæ. Expendendum 3tiò: Habet puer JESUS ligatos pedes, & tuos tenetné Regula de incessu, de non ingrediendis cubiculis? suntne restricti ad solam viam mandatorum, & perfectionis decurrendam? &c. Expendendum 4tò: Christus se permisit alienis ligari manibus, & tu Religiose Superiorum ac Dei voluntate te circumscribi paterisne? Expendendum 5tò: Vilibus Christus circumducitur fasciis. Et tu Religiose eligisne viliora, in tuum usum? prout Regula à te exigit &c.

PUNCTUM 3tium.

Vita Religiosi debet esse conformis Jesu tacenti & lacrymanti.

EXpendendum, quòd Filius Dei, Sapientia increata & pro nobis incarnata, voluit nobis apparere muta & infans, ut doceret Religiosum hominem, linguam vinculis silentii religare. Potuit Infans Christus de cunis etiam, mellifluè perorare ad omnes, maluit tamen tacere, & ante tempus suam Sapientiam non ostentare, ut Religiosus discat, tempus esse tacendi, tempus loquendi, nihilq;

hilq; ad perfectionem vitæ magìs conducere, quàm taciturnitatem. Vide, quantos defectus loquacitas inducit? quantas perturbationes in Communitate, in te ipso. &c. Et disce à parvo Jesu strictam silentii observationem, si vis postea tempore congruo, ad cor loqui hominum, si vis attentè orare vocaliter, si vis, ut tuæ in omnibus Deus benedicat linguæ. Expendendum 2dò: Filius Dei tacet, & Cælum totum applaudit, canentibûs Angelîs: *Gloria in excelsis*, prædicantibûsq; Christum tacentem. Sic ex taciturnitate, magna Dei gloria assurgit; sic cùm homo de seipso tacet, Cælum in ejus laudes effunditur. Vide ô Religiose! ut illa, quæ ad tuam laudem spectant, subticeas, & Cælum te laudabit. Expendendum 3tiò: Plangit puer Jesus, & ejus ocelli lacrymis suffunduntur, ut tu Religiose, tuos oculos ab omni curiositate submoveas, & discas potiùs hic, cum Jesu lugere. Beati enim qui lugent, quàm cum mundo ridere ac lætari.

IN COLLOQUIO.

ACcede ad Beatissimam & parvulum Jesum, cum omni submissione & adoratione, petens, ut ille, qui est Creator tuus, recreare ac reformare te dignetur, ad suæ Imaginis similitudinem, ut vivas tu, jam non tu, sed vivat in te Christus. Pete item intercessionem Sanctissimæ Matris, ac S: Josephi, ut eorum interpositione post has Collectiones, ambules in novitate vitæ.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

EGo sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Ioan:* 8.

Ego sum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. *Ioan:* 14.

Eligendum est, magìs totum mundum habere contrarium, quàm Jesum offensum. *Tho: à Kemp: l:* 1. *c.* 8.

Plus homo nocet sibi, si Jesum non quærit, quàm totus mundus & omnes sui adversarii. *Tho: à Kemp: l: 2: c: 7.*

§. TERTIUS.

Prosecutio Fugientis in Ægyptum.

NOn alacri pedum cursu, sed excitato virtutum passu, indubiè, fugientem licét Incarnatam Sapientiam consequetur viator Religiosus, cujus si institerit vestigiis, fortem se in sufferendis præsentis vitæ vicissitudinibus, indifferentem ad percipienda Dei dona, tolerandasq; tribulationes, prudentem in evitando furore alieno, ac tandem promptum ad labores inveniet. Ut monet Spiritus S: *Eccl:* 9: *Fili concupiscens Sapientiam, conserva justitiam, & DEus præbebit illam.* Et cap: 6: *In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus* (id est Sapientiæ:)

MEDITATIO

De Fuga Christi in Ægyptum.

PRæl: 1. Specta Beatissimam, cum S: Josepho & parvulo JESU accingentem se viæ, & progredientem.

Præl: 2: Pete gratiam imitandi virtutes relucentes in his personis.

PUNCTUM 1mum.

Varietas & vicissitudo contingens in vita humana, forti animo sufferenda.

COnsidera nunquam hanc vitam esse stabilem, sed semper variis mutationibus obnoxiam; nunc Deus nos prosperis, nunc adversis exercet, ut nostram probet virtutem & animi constantiam: Beatus enim ille, quem nec prospera evehunt, nec adversa deprimunt. Ad eam in quocunq; eventu æquanimitatem & fortitudinem, exemplum dedit nobis Christus, statim à sua infantia. Expendamus vicissitudines Christi nati, cui nunc prospera, nunc adversa occurrebant. Nam 1mò: Gloriosum fuit Christo, dum magnificaretur à Pastoribus tanquam Deus in stabulo, dolorosum autem, dum circumcideretur in Templo tanquam peccator. 2dò: honori-

honorificum Christo fuit, dum Reges ab Oriente, magno comitatu venerunt, cum muneribus adoraturi, tanquam supremum universorum Regem; periculosum verò, dum ab Herode quærereretur ad necem. 3tiò: Plenum gaudio & solatiis, dum à Simeone & Anna, extolleretur in Templo; non vacuum dolore, dum ab Angelo suadetur fuga in Ægyptum. Expende imprimis, quomodo Christus, Beatissima, & S: Joseph, tum in prosperis, tum in adversis se gesserant, quos neq; adversitas dejecit, ac in querelas solvit, neq; prosperitas arrogantes fecit. Vide & tu, quomodo te geras, in utraq; fortuna? conservasné humilitatem, sive in prosperis sive in adversis? addisné patientiam, si tribulatio occurrat? Persuade tibi, quòd hoc sit impossibile, ut semper in hac vita, prospera tibi eveniant. Si enim Deus nec suæ Matri, nec sibi talem vitam ordinavit, in hac peregrinatione; certè & tu non speres ejusmodi privilegium. Proinde subjice te ex toto, voluntati Divinæ, ab ejúsq; manu, omnia cum magna submissione, & gratiarum actione acceptare velis.

PUNCTUM 2dum.

Indifferentia tum ad dona Dei, tum ad locum, aliasq; tolerandas persecutiones, discenda est à Sanctis Viatoribus in Ægyptum.

Considera, quòd Angelus non Beatissimæ apparuit, non illam, sed Sanctum Josephum, qui longè inferior fuit, allocutus est: nihil tamen hisce movebatur Beatissima, ut & tu discas non invidere, nec turbari, si mediocres, aut minores perfectione, virtute, doctrinâ, talentîs, meritîs, officiîs, ad sublimiora promoveantur, te prætermisso aut despecto. Nulli rei creatæ afficiaris, & quidquid tibi acciderit, non te conturbabit.

Considera. 2dò: Quomodo Christus statim à juventute persecutiones sustineat. In terra nativitatis suæ, pulsus est è diversorio in stabulum, e stabulo in Ægyptum, postea ex Ægypto in

Nazareth redire jubetur. Ut & tu, à teneris vitæ Religiosæ, assuescas tribulationes pati, & ad illas semper te præpares, ut item condiscas indifferentiam, quò ád loca, mansiones &c, ut in quavis mundi plaga sis paratus vivere, ubicunq; te superiorum dispositio collocaverit, etiamsi procul à Patria, ab amicis, Consanguineis. Estné in te hic Christi Spiritus? estné indifferentia? pete eam à Christo. Considera 3tiò: potuit Christus non fugiendo evadere Herodis iras, sed eidem fortiter resistendo, eumq; ipso nutu prosternendo; maluit tamen benignè ejusdem devitare iras, cedere furori, ut doceret, quòd objurgantibus, reprehendentibus, persequentibus non resistere, non vindictam de illis expetere, sed patienter sufferre, passioni eorum condescendere, furori cedere, ac nos ab oculis illorũ submovere, bonumq; pro malo reddere debeamus. Vide, utrú huic virtuti, hucusq; studuisti? nonné potiùs ad minimum verbum, etiam leviter læsivum, excandescere consvevisti? Confundere corã Christo, pete spiritum patientiæ, & fortitudinis, in quavis persecutione. Propone imitari Christum.

PUNCTUM 3tium.

Unde vivebant in Ægypto?

COnsidera potuisse Christum uti miraculis, & omnium Ægyptiorum trahere ad se affectus, ex quo Beatissimæ & S: Josepho omnia commoda providissent; noluit tamen eo medio uti, sed potiùs Beatissima, & S. Joseph labore manuum suarum vivebant, & parvulum JEsum fovebant. Successu temporis cum cresceret JEsus, & ipse labore & obsequiis, juvabat S. Matrem, omnemque domûs munditiem curabat, ut nos doceret, quòd non quietem appetere debeamus, sed usq; ad mortem in laboribus, & obsequiis constanter perseverare. Ad laborem, non ad otium, & vana Colloquia, venimus ad Religionem. Excitemus nos ad id exemplô Christi, Beatissimæ & S. Josephi. Obsequamur S. Patri, né in domo nostra per nostram ignaviam otio locum demus.

IN COLLOQUIO.

PEte à JESU & Beatissima ac S. Josepho, ut te doceant quomodo in hac peregrinatione vitæ te gerere debeas, ut non exerres à semitis justitiæ, & à Patria Cælesti

Pater: Ave: &c: An: Christi: &c:

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

DA locum Christo, & Cæteris omnibus nega introitum. Cum Christum habueris, dives es, & sufficit tibi, Th: à Kem: l 1. c: 1.

Pauperrimus est, qui vivit sine JESU, & ditissimus, cui bene est cum JESU, Tho l: 1. c: 8.

Omnia habemus in Christo, & omnia in nobis Christus. S. Ambr:

§. QUARTUS.

De Introspectione absconditæ Incarnatæ Sapientiæ.

ABscondi voluit Cælestis Sapientia, & in occulto tantisper latere, ut studiosiùs quæreretur, & gloriosiùs inventa retineretur. Inquirit Princeps ille Orientis, vir rectus & timens Deum: *Unde Sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?* Job 18. Et respondit: *absconditа est ab oculis omnium viventium.* Paulò autem antè dixit: *Trahitur sapientia de occultis*: Introspiciat itaq; viator Religiosus absconditam Incarnatam Sapientiam, ut eam inventam sibi gratuletur.

MEDITATIO

De Vita Christi privata & abscondita.

PRæl: 1. Constitue te in illa domuncula Nazarethana, ubi Christus usq; ad trigesimum ætatis annum vixit absconditus.

Præl: 2. Pete gratiam imitandi Christum.

PUNCTUM 1mum.

Abscondita vita Christi, Idea vitæ Religiosæ.

COnsidera 1mò: Cur Deus Filium suum Incarnatum de Cælo missum, propter docendum, & convertendum genus humanum

voluerit

voluerit usq; ad trigesimum annum privatam ducere vitám, & intra angulos domunculæ Nazarethanæ contineri, ac latere? Nonē convenientiùs videretur ad gloriam DEI, si statim inter homines versaretur, prædicaret veritatem, miraculis floreret. Adora in his, consilia DEI inscrutabilia, & disce 1mò: quòd DEI gloria promoveatur, non per excellentias, non per apparentias, non per miracula, & illustres labores, sed per id, ut facias id, quod Deus à te fieri vult, per superiorum dispositionem. Non placent DEO tui labores etiam maximi, si non egeris illa, quæ & quando DEUS vult, ut agas. Vide, utrùm in omnibus actionibus tuis non potiùs tuum placitum, commodum, excellentiam, quàm DEI voluntatem sequaris, & intendas. Discas 2dò: etiamsi & tu sis vocatus ad eũ finem, ut tuæ & proximorum saluti, ac perfectioni incumbas, non debes tamen, ante tempus evolare ad conversationes; priùs domi delitescendum, priùs meditationibûs, lectionibûs, sapientiâ imbuendus animus, multis doctrinis illuminandus intellectus, virtutibus excolendi proprii mores, antequam ad institutionem progrediaris proximorum. Sicut Propheta monet *Psal: 126: Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis.* Quomodo enim cæcus ducatum aliis præstabit? quomodo ignarus, & rudis, docebit? quomodo de virtute & Sanctitate nihil habens, alios sanctificabit?

Considera 2dò: Filius DEI post gloriam, quam ab Angelis & Pastoribus in nativitate retulit, post adorationes Regum, post prædictiones laudabiles Simeonis, post insignem profectum, in gratia & Sapientia coram DEO & hominibus, in angulo Nazarethanæ domûs privatus delitescit, ingloriusq; manet; nec tamen turbatur, aut querulatur, ut & tu Religiose patienter, & humiliter sufferre discas, si aut post gloriosa munia, & officia honorifica peracta, detrudaris in angulum, obliuioni tradaris, vel ùt inutile pondus relinquaris. Nunquid tu melior Filio DEI? aut si non

ap-

applicer's ad eas Cathedras, Scholas, Collegia, ad quæ, te tua talenta, tuæ dotes promovent. Sufficiat tibi angulus Domus Religiosæ, cum latente JESU. Non plus vales Christô, neq; majorem ex te Deus habebit gloriam, quàm habuisset ex Christo, si statim apparuisset inter homines; & tamen tamdiu illum DEUS latere voluit. Trade te regendum voluntati Divinæ. Gaude, si tua vita sit cum Christo & in Christo abscondita.

PUNCTUM 2dum.

Abscondita Christi vita, Idea abnegationis suî, & humilitatis Religiosæ.

COnsidera 1mò: quòd Filius DEI, Sapientia æterni Patris, ità in privata vita exinaniverit semetipsum, ut in Conspectu hominū, non solùm voluerit apparere inutilis, abjectus, insipiens, sed etiam eò rem deduxit, ut pro tali haberetur, ut fabri filius vocaretur, & multos sibi obloquentes audiret: *Unde iste didicit literas?* Et tu Religiose ubiq; tua talenta jactas? sciolus videri cupis? intolerabiléq; tibi videtur, si imprudentiæ aut inscitiæ à quoquam arguaris? si tuæ dotes ac doctrina taxentur? si alicui longè etiam doctiori postponaris? Erubesce coram Christo sic exinanito, tuam elationem, deprime tuam arrogantiam. Pete Spiritum abnegationis tuî.

Considera 2dò: Christus cum esset tantæ dignitatis & Sapientiæ, non ingerebat se in conversationem cùm Magnatibus, non censurabat aliorum doctrinam & talenta, quamvìs omnibus præcelleret, non eligebat in templo & alibi primos accubitus, sed dum se conferret ad templum, ad locum viliorem secessit, & tanquam unus de plebe ubiq; versabatur, in nulla re singularis esse expetiît. Vide Religiose, utrùm similis in te demissio, utrùm supra alios evolare non contendas? utrùm singularitates in communitate non ambias? Confundere, deplora defectus, imitare Christi submissionem.

PUNCTUM 3tium.

Vivendi, Christi modus in vita privata.

COnsidera compendium vitæ Christi absconditæ ab Evangelista descriptæ: *& erat subditus illis*, quasi tota vita illius esset executio obedientiæ, ut tu Socie JESU, non alium vivendi modum tibi ordines, nisi continuam obedientiæ executionem. Intuere cum S: Bonaventura, Christum humilia obsequia obeuntem in domo Nazarethana, nunquam otiosum, in orationibus Dei pernoctantem. Conspice, quâ modestiâ ad mensam sedeat? quâ submissione & alacritate domum purget? ad olera descendat? quomodo prudenter, circumspectè in omnibus procedat? quâ promptitudine suæ Sanctissimæ Matri, & suo nutritio S: Josepho obtemperet Dominus universorum? Compara ejus vitam cum tua vita. Erubesce defectus tuos, excita te ad Christi exempla imitanda. Implora id ipsum à Domino JESU, Beatissima, & S: Josepho.

Pater noster: Ave Maria.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

ESto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in Oculis Dei. Tantò enim eris apud Deum pretiosior, quantò fueris in oculis tuis despectior. *Isidor: in Syn:*

Perfice Domine gressus meos, in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Psal:* 16.

Deus præcinge me virtute, & pone viam meam immaculatã. *Psal:* 17.

§. TERTIUS.

Apparens & prædicans Incarnata Sapientia docet modum agendi cum Deo & hominibus.

QUalis inter homines vivere debeat Viator Religiosus, discat ex vita Incarnata. Ut verò fructuosè inter eos degat, assuescat domi, Sancta & utilia loqui: *In lingua enim, Sapientia dignoscitur.* Eccl: 4.

De

DE VITA INCARNATÆ SAPIENTIÆ.

MEDITATIO

De Gestis Vitæ Christi Prædicantis.

PRæl: 1. Cogita Christum te spectare, vicos & castella obeuntem, turbis prædicantem; & cum hominibus conversantem.

Præl: 2. Pete gratiam imitandi Christum.

PUNCTUM 1mum.

Imitanda Christi gesta erga Deum.

COnsidera vitam Christi, & actiones ejus, per ordinem ad Patrem Æternum, ut illas imiteris. 1mò: cùm esset in opere prædicationis, erat pernoctans in Oratione Dei. Et tu præmittisné ad Deum Orationem, antequam prodeas ad conversandum cum Fratribus? ad Catechisandum populo? Vide, quo desiderio, punctualitate, & alacritate descendas ad meditationem, aliaq; pietatis opera. 2dò: Ipse dixit de se ad Apostolos, quòd ejus cibus esset, facere voluntatem Patris. Et cur fastidiô afficeris in exequenda voluntate Dei? cur illam in adversis non pateris? 3tiò: In iis, quæ Patris erant, sedulus inveniebatur, etiam relictis Parentibus, dum remansit adhuc puer Hierozolymis. 4tò: Omnia referebat in gloriam Patris, & in Nomine Patris, omnia opera faciebat: *Ego non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum.* 5tò: Desiderabat & procurabat clarificare Patrem Æternum, dum dicebat: *Pater clarifica Nomen Tuum.* 6tò: Omnia præcepta Patris servabat, cohortans Apostolos ad eandem observationem, addens: *Sicut ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* 7mò: *Obediens factus Patri usq; ad mortem, mortem autem Crucis.* 8vò: Ex iis, quos ipsi dedit Æternus Pater, non perdidit quenquam. His expensis vide, quomodo tu homuncio miser agas cum Deo tuo? Christus æqualis Patri, Deus de Deo, in assumpta humanitate ità egit cum Patre. Tu autem quàm irreverenter, procedas in ope-

ribus, Deum concernentibus, quàm refractarius vivas illius voluntati? quàm irresignatus? Erubesce, dole, & firmiter obfirma animum, ut in his omnibus imiteris Christum.

PUNCTUM 2dum.

Imitanda Christi gesta, in conversando cum hominibus.

COnsidera imprimis, antequam Christus prodiret ad convertendos homines, secessit in eremum, ibidemq; quadraginta diebus & noctibus perseveravit in jejunio, ut te religiose doceret, quomodo te parare debeas ad fructuosam conversationem cum hominibus, nempe per jejunia & orationes. 2dò: Suavissimus erat erga omnes, & ipso intuitu suo lætificabat; proinde, si qui tristarentur, dicebant: Eamus & videamus Filium Mariæ. 3tiò: Neminem spernebat, sed omnes, etiam peccatores, & corpore ægros vocabat ad se, etiam sibi ingratos: *Venite ad me omnes*, & benignè recipiebat. 4tò: Nulli adulabatur, sed omnibus, juxta exigentiam rei, veritatem exponebat, cumq; opus foret, reprehendebat. 5tò: Honores, æstimationes fugiebat, nec admisit electionem suî in Regem. 6tò Indefatigabiliter sudabat, circa salutem omnium, sinè ullo respectu commoditatis suæ, aut intuitu recompensationis. 7mò: Non erat affixus uni loco, sed pertransibat benefaciendo & sanando omnes. 8vò: Misericordissimus supra indigentes fuit, dicens: *Misereor super turbam*, totumq; se impendit obsequiis hominum. Estné tibi animus in his omnibus imitari Christum? Excita te ad id, tum dignitate Christi, tum obligatione vitæ tuæ Religiosæ; ad hoc enim venisti, ut Christum imitareris.

PUNCTUM 3tium.

Imitanda Christi gesta, quò ad seipsum.

COnsidera vitam Christi per respectum ad ipsum Christum, ut & tu similis illi, in te ipso efficiaris. 1mò: erat humillimus, ita, ut de se diceret: Ego vermis & non homo, ego inter vos, sicut

is,

is, qui ministrat, 2dò: Erat pauperrimus, non habens, ubi caput reclinaret. 3tiò: Erat verecundus ac modestus. 4tò: Non implicabat se curis mundi, id etiam suis suadens; *nè solliciti sitis corpori vestro &c.* 5tò: Semper in exercitio versabatur. 6tò: Tot & tanta faciens miracula vitabat ea propalare, statim ad gloriam Patris referebat. 7mò: Pacatissimè cum omnibus vixit, nec malum pro malo cuiquam reddidit. Vide, utrùm tu talis sis per respectum ad teipsum. Excita te ad singula. Pete, ut exprimas Christum in teipso.

COLLOQUIUM.

CUm Christo Domino, gratias illi agendo, quòd dignatus sit esse exemplar omnium virtutum, & pete gratiam, ut eum imiteris.

Pater: Ave: &c: An: Christi: &c:

ACTUS SÆPIUS MENTE VOLVENDI.

SIc luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est. *Matth: 5.*

Spectaculum facti sumus, mundo, & Angelis, & hominibus. 1. *Cor: 4.*

Domine Deus meus da cordi meo, te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare. *S: Aug: med: c: 1.*

Aliis curæ esse non potest, qui sibi ipsi non est, neq; aliorum commodis servire, qui sua negligit. *S: Xaverius.*

De Consuetudine bona loquendi.

NOn erudietur, qui non est Sapiens in bono. *Eccl: 21.*

Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium facit disertas. *Sap: 10.*

MEDITATIO.

De Usurpandis Spiritualibus Colloquiis.

PRæl. 1. Colloca te coram Christo, sanante linguam hominis muti, de quo Evangelium testatur, quòd sanatus loquebatur rectè.

Præl. 2: Pete à Christo, ut etiam tuam linguam sanet, quâ rectè loquaris Spiritualia in recreationibus.

PUNCTUM 1mum.

Utilitas Colloquiorum Spiritualium.

COnsidera: 1mam utilitatem Colloquiorum Spiritualium esse hanc, quia Christum ad loquentes adducunt, & medium inter illos constituunt. Ita ipse Deus promittit, apud Isai: 65. *Adhuc loquentibus illis, dicam: ecce adsum.* Et Christus Dominus Matth: 18: *Ubi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Expendenda hic sunt tria verba, primum: *in nomine meo*, hoc est, propter me, ad colloquendum de me, de mea vita & moribus, de meis laudibus, & negotiis ad me pertinentibus. 2dum: *ibi sum.* Non dicit veniam illuc, ero ibi, potero, vel soleo adesse ibi, sed ait: *sum*, quasi nullam moram posit facere, quîn mox præsens adsit piis Colloquiis. 3tium: in *medio eorum*, id est: inter illos, aut in cordibus uniuscujusq;. Habetur hujus rei exemplum in illa apparitione facta à Christo euntibus in Emmaus; inter duos adfuit Christus medius, & fuit in corde illorum, his ipsis fatentibus: *Nonnè cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Non desunt & alia exempla in vitis Sanctorum, ex quibus, sicut probatur DEUM adesse pia loquentibus, ita diabolum interesse vana loquentibus.

2da Utilitas est, quia per talia Colloquia discimus, quomodo in posterum cum proximis agere debeamus.

3tia Utilitas est, quia etiam Sancti DEI & Angeli ad talia Colloquia Spiritualia convenire solent, recedunt autem a profanis sermonibus. Sic de S: Aloisio legitur, quòd a nonnullis Sanctioribus fratribus videretur in locùm recreationis introducere secum Beatissimam Virginem, de qua frequentissima habebat Colloquia.

Notum

Notum & illud exemplum, quo refertur, Sanctum quendam solitum fuisse videre, quotiescunq; Fratres in Colloquiis, res sanctas & utiles tractâssent, toties Angelos lætos, inter illos fuisse moratos, at ubi primum leviuscula intulissent in sermones, mox Angelos tristes abire, porcos autem grunnientes in medium eorum venire solitos. Videat quisq;, quales Sermones libenter audiat? quales inferat in recreationem? cuinam associetur? Angelisné? an porcis?

4ta Utilitas est, quia Colloquia Sancta excitant mentes nostras ad studium virtutum, ad fervorem in spiritu, ad fugam malorum, & ad omne bonum prosequendum. Sicut enim teste S: Paulo 1. Cor: 15. *Corrumpunt bonos mores Colloquia mala*; ita Sanctîs colloquiîs instaurantur mores. Consulat quisq; suam conscientiam, utrùm non sentiat bonis Colloquiis excitari se ad bonum. Æstimemus itaq; bona Colloquia, né tot utilitatibus privemur. Proponamus, nihil vani & curiosi nos tractaturos in recreationibus, nisi illa, quæ saluti nostræ conducent, & fratrum ædificationi servient.

PUNCTUM 2dum.

Honestas cujusq; invitat ad Sancta Colloquia.

CONsidera, quòd honestas exigat a quovis nostrûm sermones bonos ac de rebus piis. Quid enim magis decet nostrum statum, quàm Religiosa loqui? Certè status noster talis est, ut toti, quanti sumus, DEO consecrati vivamus & à mundo translati, mundanorum obliti, mundo adversarii simus: utquid ergo linguam nostram sæcularem esse volumus? Bone DEUS! Si quem indutum veste sæculari vel calceis, aut pileo, in forum prodire, aut inter Fratres, Superiorum ordinatio urgeret, quantus ille apprehensionibus torqueretur? quantùm erubesceret, quantùm mortificari se querularetur. Et tamen quando per tot dies & annos

nos Religionis, linguam sæcularem leviusculam, nugatoriam habet & portat; nihil inde erubescit, quasi verò non majus esset probrum, linguam, quàm vestem sæcularem portare. Expende Religiose, quantùm excandesceres, si tibi quis objiceret: mundanus & sæcularis es: nullum enim sæcularitatis signum majus esse potest, quàm loquela. Sicut Christus dixit: *ex ore tuo te judico serve nequam.* Cur itaq; non erubescis id esse, quod de te non vis audire? Cogitate Fratres: si ad vos loquentes veniret Christus vel Beatissima, vel Angelus, vel Sanctus Ignatius, & inquireret: *qui* sunt hi sermones, quos confertis ad invicem? nonné unusquisq; animô suô confunderetur, & erubesceret in talium rerum narratione se deprehensum esse? proinde, quôd tunc quisq; erubesceret de se audiri, hoc eum pudeat loqui; semper enim adest nobis præsens DEUS, & Sermonum nostrorum Judex.

PUNCTUM 3tium.

Quanta necessitas Colloquiorum Spiritualium?

COnsidera, quòd ipsa necessitas deberet & nos cogere loqui de Spiritualibus. 1mò: Quia non sunt nobis liciti sermones alii, præterquam pii. Vetat enim illos tum lex DEI: *de omni enim verbo otioso, quodcunq; locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die judicii,* dicit Christus Dominus. Tum lex nostra Religiosa, quæ improbat,, & proscribit tales sermones. Tum Professio & status noster, qui cùm est Spiritualis, omnia etiam nostra vult esse spiritualia, consequenter & Colloquia, quæ si vana fuerint, & corda erunt, ac per consequens omnia alia, scilicet & Professio, & vota, vana. 2dò: Cogit nos necessitas loqui de piis rebus, quia nostra vita, non est solitaria, sed conversativa. Ex instituto cum hominibus agere & loqui, eosq; ad bonum sermonem promovere tenemur; quomodo autem id facere poterimus, si cum externis, vana tantum & sæcularia loquemur? Nesciemus

sciemus enim spiritualia, cùm nec modum, nec usum eorum acquisivimus, utpote nunquam, aut raró domi ea pertractantes, quæ sunt Spiritûs. Et tamen Apostolus monet ad Ephesios 4to: ut *sermo ex ore vestro procedat bonus, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.*

IN COLLOQUIO.

PEtes à Christo JESU, felle & acetò potato, ut imbuat linguam tuam sanctis sermonibus, tribuatq; tibi gratiam, né unquam linguam tuam profanes sermonibus vanis, quam ille toties in Eucharistia, suo sanguine & corpore consecrare non desinit.

Pater: Ave: &c: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

DOmine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. *Psal.* 50.

Os justi meditabitur Sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. *Psal.* 36.

Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in via mea: *Ps:* 88.

De Fructu oris sui unusquisq; replebitur bonis. *Prov:* 12.

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI

Supra doctrinas Spirituales, sive ex Concionibus, sive ex libris Spiritualibus colligendas.

Constitutus sub pedibus Crucifixi, pete gratiam fructuosæ Considerationis, ut te excites ad salutarem auditionem & lectionem doctrinæ Spiritualis.

I. VIde, quâ intentione audis Conciones? exhortationes? aut legis librum spiritualem? num non ob solam vanitatem, aut curiositatem? vel ob fallendum tempus, aut consuetudinem meram? Cura, ut intentio sit cognoscendæ ex his, & implendæ voluntatis Divinæ. Præmitte Orationem ad DEUM, ut DEUS

det Concionatori, efficaciam verborum ad loquendum ad cor auditorum, aperiat autem aures cordis tui & aliorum ad audiendam vocem Domini. Dic cum Pſalte. *Deus meus illumina tenebras meas.* Pſal: 17. *loquere Domine, quia audit ſervus tuus.*

II. Sub tempus Concionis, vel lectionis, cogitaſne DEUM ad te loqui, per ſuum legatum? vel per Epiſtolam ad te exaratam? Sic S: Auguſtinus ſer: 6: de Paſſ: *Cùm oramus, ipſi cum Deo loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiſcum loquitur.* Num identidem ſuſpiras ad Deum, ut te, & alios illuminet, & accendat, juxta illud Pſal: 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* S: Aug: l: 8. Conf: c: 12: fatetur, quòd in tenebris hæreticorum manens, ſit illuminatus lectione ſacra, ad quam illâ voce inductus: *tolle, lege.* Similiter S: Juſtinus Martyr, de ſe ipſo, in dialogo contra Triphonem, refert, *quòd lectione bibliorum, omnes infidelitatis tenebras propulſaverit.*

III. Num ex dictis in Concione aut lectione, colligis aliquem fructum, dictaq; tibi applicas? num in aliquem affectum erumpis? aut propoſitum facis? Audi S: Bern: de Schola Clauſtr: diſſerentem. *Quid prodeſt lectione continua tempus occupare, Sanctorum geſta & ſcripta tranſcurrere, niſi, ea etiam maſticando, & ruminando ſuccum eliciamus, & transglutiendo, uſq; ad cordis intima transmittamus?*

IV. Num finitâ Concione, vel lectione, agis DEO gratias pro doctrina? num conſervas? & quamdiu? in corde, fructum ex ſemine verbi divini? Ruminaſne audita vel lecta? alliciſne te ad executionem illorum quæ didiciſti? Fuit quidam de Societate noſtra (ut refert Barry) qui ante mortis articulum affirmavit: nihil unquam aut legi aut audivi de rebus geſtis Sanctorum, quod aliquoties in vita non ſum conatus exequi, inquantum vitæ hujus conditio permitteret. Poteriſne tu id ipſum in morte teſtari de te ipſo?

V.

V. Habesne quotidiè certum ac determinatum tempus legendi libri Spiritualis? hæc tamen lectio, est cibus confortans animam. Congruum ergo esset, ut, sicut corpus suo cibo reficitur, ita & anima suô alimentô non destituatur, né deficiat. Hinc S: Bernard: de vita solitaria. *Certis horis certæ lectioni vacandum est, fortuita enim & varia lectio non ædificat.* Et S: Hieronymus addit. *Ama scientiam, & studia scripturarum, & carnis vitia non amabis.*

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo,
Sic homo fit Sanctus, non vî, sed sæpè legendo.

VI. Qualem librum tibi eligis? Eumné, qui solum intellectum pascat, & nullum voluntati, ad varios affectus, fomentum suppeditet, vel ex quo fabulas non fructum animæ colligas? Prout S: Paulus 2.: Tim: 4: nonnullos reprehendit: *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Audi S: Hieronymum de seipso Epist: 22. ad Eust: Virg: c: 13. referentem: *Miser ego (inquit) lecturus Tullium iejunabam &c. Subitò raptus in spiritu ad tribunal judicis pertrahor, ubi interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi, & ille qui præsidebat, mentiris, ait: Ciceronianus es non Christianus, ubi enim thesaurus, ibi & cor tuum. Illico obmutui, & inter verbera (nam cædi me jusserat) clamare cæpi & ejulans dicere: Miserere meî Domine, miserere meî. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpè deludimur; testis est tribunal illud, ante quod jacui, testis judicium triste, quod timui, liventes fateor me habuisse scapulas, plagas sensisse post somnum.*

VII. Non afficerisne tædio, & nauseâ in legendo libro Spirituali? Vide quid S: Ephrem tr: 1 de vit: Spir: n: 93 dicat: *Quando te à lectione rerum Spiritualium abhorrere videris, admonitionesq; Spirituales fastidire, tunc animam tuam in gravem incidisse morbum noveris.*

VIII. Habesne collecta tibi motiva, & incitamenta, quibus ad legendos libros sacros inciteris, maximè in occursu teporis ab ea sancta occupatione te retrahentis? Hæc autem esse possunt. 1mò: Quia per lectionem sacrorum librorum acquiritur major notitia DEI, sui ipsius cognitio, in rebus agendis prudentia. 2dò; Quia lectio Spiritualis est summè necessaria ad salutem animæ, & ùt S: Chrysost: Con: 3 de Laz: ait: *Non potest fieri, ut quisq; salutem assequatur, nisi perpetuò versetur in lectione Spirituali.*

3tiò, Quia lectio sacra plurimum confert ad vitam Spiritualem animæ conservandam, nempé ad tuendam gratiam sanctificantem, ad augendas virtutes, homine Religioso dignas.

4tò: Quia, ut Ludovicus Blosius in spec: Spir: c: 10 § 5. ait; Si Sacræ lectioni convenienter intendis, sæpè majorem fructum refers, quàm si orares.

5tò: Quia studium lectionis Sacræ, est signum prædestinationis, juxta illud Christi: *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

6tò: Quia lectio Sacra ad multa est utilis. Tum quia est utilis ad animam reficiendam, quæ pabulô lectionis nutritur, & impinguatur. Tum quia est utilis ad Colloquia spiritualia instituenda, & ad optima consilia danda. Tum quia est utilis ad dæmonis insidias cognoscendas, & effugiendas. Tum quia est utilis ad defectus nostros cognoscendos; lectio enim Sacra, est speculum, nostros pandens defectus.

7mò: Quia lectio Sacra, ad magnam sanctitatem promovet. Multi enim lectione Sacrâ in viros Sanctos evaserunt. Sic S: Dominicus, S: Ignatius, S: Philippus Nerius, *qui institutionum primùm atq; collationum spirituali meditatione succensus.* S. Gregorius Nazianzenus, fatetur, se, lectione Sacra, in alium virum mutatum. S. Theresia &c.

IX.

IX. Habesné Patrem *Spiritualem*, cui te candidè & sincerè aperias & conscientiam tuam manifestes? atq; secundùm ejus directionem, omnem animæ & vitæ tuæ statum ordines. Cura omni filiali affectu ad illum recurrere, nihil interiùs conservando, quod illi non reveles, si vis semper habere pacatam & securam conscientiam. Talî enim viâ Deus vult, ut procedamus ad Cælestem Patriam, alioquin in periculo sumus aberrandi. Anno 1587. Quidam, vice quadam, cùm faceret disciplinam, sensit sibi eam detineri; tum vox auditaa: ut quid innocens corpus maceras & duriùs tractas? jam indulgentiâ Dei abolita sunt peccata tua, *qui te delegit sibi in filium & Regni Cælestis hæredem.* hanc schedam in qua conscripsisti peccata (parabat enim tunc Confessionem generalem) offer ad Templi fastigium, lapidemq; illi & prunas superimpone. Quo ipse facto, postridie rediens, nec schedam, nec prunas invenit. Persuasit item eidem, ut se dejiceret de alta turri, cumq; id fecisset absq; omni offensa, præsumere cæpit tanquam Sanctus, Deo dilectus, & ejus Filius. Auxit ejus amentiam adoptionis formula, quam ei veterator attulerat, tanquam à Deo missam. Paulò post deseruit cænobium, dissolutus ac flagitiosus vixit, & tandem Mediolani vix ad mentem & disciplinam Religiosam reversus. P: Nad: vit: Prædest: Sig: 1.

CAPUT 3tium.

De occasu Patientis Incarnatæ Sapientiæ.

NUllibi fructuosiùs morabitur Viator Religiosus, quàm in contemplanda passione Incarnatæ sapientiæ, ex qua, quidquid virtutũ & perfectionis vitæ luminũ desiderare potest, facilè obtinebit, ùt annuit S: Bonaventura de Pass: dicens Si vis ô homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere; quotidie, quanta potes devotione, mediteris Dominicam Passionem; nihil enim in anima ita operatur universalem Sanctificationem; si-

cut meditatio Passionis Christi. Nos, his præmissis duabus meditationibus de memoriali Passonis Christi, præcipua tantùm ejus mysteria prosequemur.

§. PRIMUS.

De Memoriali Passionis Christi.

Ad perennem Passionis suæ memoriam, reliquit nobis Christus suum Corpus in Eucharistiæ Sacramento. de Quo.

MEDITATIO 1ma

De Institutione & Usu Eucharistiæ Sacramenti.

PRæl: 1. Colloca te sub pedibus Apostolorum assistentium Christo instituenti Eucharistiæ Sacramentum.

Præl: 2. Pete gratiam cognoscendi beneficium Christi, in Eucharistia exhibitum, & hâc Eucharistiâ Sanctè utendi.

PUNCTUM 1mum.

Quæ præmittenda ante Usum Eucharistiæ?

COnsidera, quæ Christus egit ante institutionem Eucharistiæ Sacramenti, ut tu quoq; pari viâ te præpares ad ejus usum. 1mò: Ait Evangelista, quòd Christus posuit *vestimenta sua, præcinxit se linteô, misit aquam in pelvim. &c.* Per hæc docuit Christus te præparandi modum ad S: communionem; debes enim priùs exuere habitus vitiosos, deponere odia, iras, amores noxios, & omnes affectus inordinatos erga creaturas, si quos habes. Debes præcingere te firmô propositô vitandi peccata & occasiones peccandi, item variis actibûs virtutum, fidei, spei, Charitatis. Item, debes aquâ lacrymarum, & sincero dolore ac Confessione eluere præterita peccata. Præmittisné ista omnia ante quamlibet communionem? & quid te ab his impedit? 2dò: Lavit pedes discipulorum suorum. Et tu, memor Communionis futuræ, lavare debes non maculare pedes aliorum, hoc est, bene de omnibus sentire & loqui. Vide quomodo Dominus universorum repter sub pedibus

piscatorum,

piscatorum, sub pedibus Judæ, eorum pedes lavans & extergens, & disce omnium pedibus subjici, disce abjecta officia non effugere, admirare tantam Christi Domini humilitatem, pete gratiam imitationis? Et tu præmittisné Communioni aliquod humilitatis exercitium? Expende item quid tu cogitâsses? quid egisses? si tunc adesses, & Christus accederet ad te, pedes tuos abluturus? quo affectu id ferres? cur similem affectum non habes in Confessionibus? in quibus te lavat Christus Sanguine suo. Erubesce, defle tuam ingratitudinem, pete à Christo, ut te totum lavet.

PUNCTUM 2dum.

Instituit Christus Eucharistiam & Missæ Sacrificium.

COnsidera, quòd Christus accipiens panem, benedixit & fregit dicens: *hoc est Corpus meum.* Similiter & Calicem dicens: *hic est Calix Sanguinis mei*, & tandem Apostolos instituit in Sacerdotes, dicens ad eos: *hoc facite in meam commemorationem.* Vide imprimis liberalitatem, & charitatem erga te, Christi, qui se tibi in cibum reliquit, & omnium bonorum suorum participem facere dignatus sit. Elice actum fidei de vera existentia Christi in Eucharistia. Item de instituto Missæ Sacrificio & Sacerdotibus. Protestare, velle te, in hac, & pro hac fide mori. Admirare Christi in te dignationem. Gratias age pro tanto ejus beneficio. Contende, ut tuo amore respondeas, ejus in te amori.

Considera item: si tunc adfuisses institutioni Eucharistiæ, & Missæ Sacrificio, quâ tunc reverentia, & submissione præsens illi adesses? cur itaq; eidem Sacrificio assistens, idem non præstas? confundere, & corrigenda corrige.

PUNCTUM 3tium.

Pascit Christus suo Corpore.

COnsidera: non sufficiebat Charitati Christi, ejusq; bonitati in nos, ut suum nobis relinqueret corpus spectandum, visitandum, atq;

atq; in Eucharistia adorandum; sed etiam voluit, ut illo pasceremur, & enutriremur in meliorem vitam, omnes virtutes & Sanctitatem ex eo hauriendo & exsugendo. Quis non mirabitur tantam bonitatem & liberalitatem in nos Christi? Quis Pater aut Mater tam excessivè amat Filium suum, sicut nos adamavit Christus? Adhuncné illum non amabimus?

Considera 2do: Si tunc de manu Christi acciperes Eucharistiam, quâ id reverentiâ, affectûs ardore, quantâ lacrymarum affluentiâ id præstares? Cur itaq; nunc tam tepidè, & imparatus ad eum accedis. Erubesce, deplora defectus, propone omnimodam præparationem.

COLLOQUIUM

Sit ex illa Oratione S: Patris: *Anima Christi*, reflexè dicta.

Pater: Ave:

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

ANgelorum escâ nutrivisti populum tuum, & paratum panem de Cælo præstitisti sinè labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. *Sap*: 16.

Hic est panis de Cælo descendens. Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Joan: 6.*

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. *Psal: 110.*

Panem Angelorum manducavit homo. *Psal: 77.*

Cibavit eos ex adipe frumenti, de petra melle saturavit eos. *Ps:* 80.

MEDITATIO 2da.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

PRæl: 1: Colloca te sub infimo majoris Altaris gradu, coràm Venerabili Sacramento, illudq; adora profundissimè.

Præl: 2. Pete gratiam Sanctè & fructuosè meditandi de Sanctissima Eucharistia, ad illiusq; Sanctum usum te præparandi.

PUN-

PUNCTUM 1mum.

Eucharistiæ Sacramentum, Spei nostræ anchora.

COnsidera, in Eucharistia, hunc latentem existere, qui vivens inter homines, obibat vicos, & oppida, ubiq; benefaciendo omnibus, ægros sanando, à dæmone obsessos liberando, leprosos mundando, cæcos illuminando, mutorum linguas & ora resolvendo, mortuos resuscitando, cum hac potentia & liberalitate adest in Eucharistiæ Sacramento. Cur itaq; cum simili fiducia & spe, non accedimus ad eum in necessitatibus nostris. Potuit uno Sarcophagi attactu illum Juvenem, qui defunctus efferebatur de Civitate, resuscitare à mortuis, & cur non poterit ferventiore Spiritu nos animare, ad sua obsequia? Potuit illa mulier duodecem annîs patiens fluxum sanguinis, eadem horâ, qua tetigit fimbriam vestimenti Christi, salva fieri; & nos intra viscera nostra Eum suscipiendo, & tam arctè illius corpori uniti, non poterimus de Sanguinibus, & pravis inclinationibus nostris liberari? Potuit uno verbo tempestates maris sedare; & non poterit seipso, rebelles ac tumultuosas passiones nostras frenare, & earum impetus temperare? Quicunq; ad Christum inter homines viventem in aliqua necessitate recurrerant, omnes cum solatio, votorum potiti redibant. Tuné primus eris, quem non exauditum sine auxilio, à facie sua rejiciet? Absit Domine, ut vel ista cogitemus. Credo ego Domine, quia in hoc Sacramento verè sis Deus absconditus, omnia poteris. Credo te esse bonitatem infinitam, in qua omnis fiducia & spes mea. Et quàmvis sciam me undequaq; indignum auxiliô & gratiâ tuâ, tamen in spe, & fiducia bonitatis tuæ, quâ omnes peccatores ad te appropinquantes recipiebas, & ego peccatorum maximus, ad te propero, *petens, nè projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum nè auferas à me.* In spe illius bonitatis, quâ dixisti: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego re-*

sciam vos. En venio Domine lassatus in via iniquitatis, miserere mei, ô bone Deus! dignusné fui? quem tu creares, quem tu ad hunc usq; diem conservares? mundo per hunc Religiosum statum subtraheres, tot aliis bonis repleres? confiteor, nunquam me dignum fuisse; & tamen tu me, ex sola Tua bonitate, hisce omnibûs cumulâsti; licet itaq; & in hoc Sacramento suscipere te, non sim dignus, tuarumq; gratiarum particeps fieri non mereor; venio tamen ad te, ut profitear fidem meam de tua bonitate, & spei meæ documentum faciam. Suscipe ergo, me filium prodigum, ô Pissime Pater, né repellas pauperculum servum. O Domine, qui dives es in omnes, qui invocant Nomen Tuum.

PUNCTUM 2dum.

Sacramentum Eucharistiæ: omnium bonorum Officina.

COnsidera in Eucharistiæ Sacramento contineri Divinitatem & Humanitatem Christi, & tanquam in Arca depositas virtutes, gratias & merita Christi. Hic sunt omnia auxilia, & subsidia necessitatibus nostris, hic omnes benedictiones; hinc suæ infirmitati robur trahere, hinc universa bona haurire quisq; potest. Una Communio potest quemq; maximâ sanctitate replere, quidnî tam frequentes communiones? Quæ itaq; causa, quòd nos ex tot Communionibus, parvum aut nullum fructum referamus? vix aliquid proficiamus? cur ad lumen accedentes, ab eo non illuminamur? igni appropinquantes frigemus? ex tot thesauris non ditamur, per medicinas morbi nostri non sanantur? Examinemus conscientiam nostram utrùm obstacula non ponamus? utrùm ex usu tantùm, sinè debita præparatione, & mortificatione ad hac mensam non accedamus? confundamur, deploremus negligentias nostras. Proponamus seriam curam, & diligentiam, in usu Sacramenti hujus.

Pun-

PUNCTUM 3tium.

Christus in Eucharistia est idea virtutum Religioso homini congruarum.

1mò: Est idea obedientiæ Religiosæ; ad prolationem enim verborum consecrationis, per os qualiscunque Sacerdotis, sive boni sive mali, statim Christus sub speciebus Eucharisticis præsens existit, & manibus Sacerdotis tractari se permittit & reponi, in quocunq; loco Sacerdos voluerit. Talem S: P: à nobis obedientiam requirit, ut quisq; ad signum etiam voluntatis Superioris, omnibûs aliîs prætermissîs, etiam literâ inchoatâ & non perfectâ, ad ea se conferat, ad quæ vocatur. 2dò: Est idea paupertatis; nihil enim in Eucharistia remanet substantiæ panis, aut vini; ità & Religiosus nihil proprium habere debet. 3tiò: Est idea Castitatis; fractîs enim speciebûs aut attritîs, non frangitur, non atteritur, non maculatur Christus; talis & nostra conversatio esse debet, ut ex rebus creatis nullas in animam maculas, sive affectionum sive cogitationum attrahat, puritatem ubiq; spirantes. 4tò: Est idea patientiæ; sustinet enim omnes injurias, tum à malis Catholicis, tum à blasphæmis hæreticis; nec tamen desinit esse in Eucharistia. Talem patientiam curet Religiosus, ut omnia sine querelis ac murmurationibus sufferat; à suo tamen officio strenuè exequendo non deficiat. 5tò: Idea indifferentiæ; in quocunq; enim loco, aut cujuscunq; indigno etiam ore reponatur, non repugnat. Talis indifferentia debet esse cujusvis Religiosi, sive quò ád locum, sive quò ád Socios, sive quò ád officia, ubicunq; per Superiorum dispositionem reponetur, nec repugnare, nec excusare deberet. 6tò: Idea humilitatis; eodem enim se modo habet, sive collocetur in vili mappa, sive in stanneo, sive in argenteo vel aureo portatorio, seu monstratorio, aut includatur in pyxide. Rogemus, ut has, ac alias virtutes imprimat, animabus nostris.

Pater; Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocavit. *Psal:* 22.

Parâsti in conspectu meo mensam, adversùs eos, qui tribulant me. *Psal:* 22.

Percussus sum, ùt fænum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. *Psal:* 101.

HORA QUIETIS,
DANDA CONSIDERATIONI
Supra Communionem Sacramentalem.

Constitutus ad Pedes Christi Crucifixi, pete gratiam fructuosæ Considerationis.

PRæcognovistiné fructus ex usu Sacramenti Eucharistiæ provenientes? ut sic majorem præparationem, & diligentiam adhibeas in eo recipiendo. Docet enim Sacra Theologia: quo quis cum majore & exactiore dispositione, præparationeq; accesserit ad hanc mensam Eucharisticam, eò uberiorem percepturus sit gratiam ex opere operato, hoc est ex ipso usu hujus Sacramenti provenientem. Sicut quo capaciore vase, haurit quis ex puteo, eò; plus defert de aqua.

2. Fructus Eucharistiæ Sacramenti sunt hi. 1mò: datur nobis per modum cibi, ut innotescat cuiq; eosdem animæ ex usu hujus Sacramenti provenire fructus, quos corpus percipit ex cibo. Tum quia sicut cibus intimè conjungitur manducanti, ita Corpus Christi, communicanti, juxta illud Joan: 6. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in illo*; ex quo patet Christi insignis in nos charitas, cujus deliciæ sunt, esse cum filiis hominum. Tum quia sicut cibus conservat vitam corporis, illo enim diutiùs deficiente, deficeret anima à corpore, quæ est vita corporis; ità pariter per Eucharistiam conservatur gratia Sanctificans, quæ est

vita

vita Spiritualis, animæ, & ſicut cibus diſpenſat Spiritus vitales per corpus, ut per illas vividiùs reddatur ad agendum, ita & Sacramentum Euchariſtiæ tribuit animæ gratias excitantes, adjuvantes ad ſanctè operandum. Tum quia, ſicut cibus impedit calorem naturalem, né ſæviat in ipſam hominis ſubſtantiam, illamq; ſenſim ſine ſenſu conſumat, ita ſimiliter Euchariſtiæ Sacramentum, reprimit concupiſcentiam carnis, aliasq; rebelles paſſiones, né animam noſtram præcipitent in ruinam. Proinde Chriſtus dixit: *ſicut ego vivo propter Patrem, ita, qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Joan. 6. Tum quia ſicut per cibum acquiritur augmentatio; augeſcunt enim membra corporis, ita per uſum debitum Sacramenti Euchariſtiæ, augentur dona ſupernaturalia, & auxilia ad operationes Sacras. Tum quia ſicut cibus facit hominem robuſtum, ſine quo debilis eſſet ac infirmus; ſimilem effectum præſtat animæ Panis hic Angelicus, juxta illud Pſal: 103. *Panis, cor hominis confirmat.* Robuſtior enim homo redditur, per uſum hujus Sacramenti, ad difficultates in via ſalutis occurrentes ſuperandas, ad tentationes & hoſtes vincendos. Unde S: Chryſoſtomus hom. 45. in Joan: dicit, quod tanquam leones ignem ſpirantes, ab illa menſa recedimus, terribiles diabolo effecti. Et Propheta Pſal: 22. *Parâſti in conſpectu meo menſam, adversùs eos, qui tribulant me.* 2dò: datur nobis per modum medicinæ præſervativæ à futuris peccatis, quæ ſunt mors animæ, & ad vires reſtaurandas animæ præteritis peccatis debilitatas, juxta illud Chriſti: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis, qui manducat meam carnem, habet vitam æternam:* Joan: 6. 3tiò: Quia uſu hujus cibi Angelici cæcitas mentis ab animo tollitur, & anima recipit fontem omnis puritatis & Sànctitatis.

3. Quam præparationem præmittis ante uſum Euchariſtiæ Sacramenti? illud quippe hic uſurpari poteſt, quod David de Templo

DEI enuntiavit 1. Paralip: 29: *Opus grande, neq; enim homini præparatur habitatio, sed DEO.* Unde S: Aloisius tribus diebus disponebat se ad rite percipiendam Communionem. S: Cajetanus octo horas dabat præparationi. Et P: Didacus Martinius nostræ Religionis præmittebat ducentos actus amoris DEI & adorationis ante Missæ Sacrificium. De S: Xaverio scribitur l: 6. vit: c: 1: quòd in Sacrario sæpiùs pernoctaret, ut inde faciliùs in Templum digrederetur, & ante Sanctam Eucharistiam, majorem partem, Orationi daret, noctis.

4. Præparatio duplex ad Sacram Communionem, a SS: Patribus assignari solet, una remota, altera proxima.

Per remotam præparationem debet provideri puritas corporis & animæ. Ad quàm comparandam examinet quisq; imò suam conscientiam, juxta monitum Apostoli 1. Cor: 11. *Probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Si autem conscius sibi fuerit alicujus peccati gravis, præmittat Confessionem Sacramentalem, ut docet Concilium Tridentinum Ses: 13: c: 7: ubi ait. *Probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantùmvis contritus videatur, absq; præmissa Sacramentali Confessione, ad Eucharistiam accedere debeat.* 2dò curandum est: ut venialia quoq;, saltem actu doloris aboleantur. Non desunt enim quidam Theologi, qui censent, accedentes ad Eucharistiam cum veniali, & cum affectu ad venialia, peccare venialiter propter irreverentiam Sacramenti. Certum autem est apud omnes, quòd per venialia impediatur efficacia gratiæ divinæ, nè omnes fructus operetur in tali anima. 3tiò: Comprimendi sunt omnes motus passionum, amovendæ animi perturbationes & solicitudines, atq; quivis affectus inordinatus ad res creatas exuendus, ut totus homo pacatus & compositus inveniatur. 4tò: Adhibeatur varia tum interna tum externa mortificatio, præsertim sensuum. Imprimis

primis autem debet esse jejunus, nihil a media nocte sive cibi, sive potus delibans, accessurus ad Eucharistiam.

5. Præparatio proxima, consistit in exercitio actuum variarum virtutum. Imprimis tamen communicaturus excitet in se vivam fidem de illis omnibus, quæ de hoc Sacramento credenda proponuntur. 2dò: Occupet se communicaturus in exercitio humilitatis, & agnitione suæ vilitatis, ac indignitatis, tum in consideratione turpitudinis peccatorum, ut maximus illorum horror & odium concipiatur. 3tiò: Eliciat quisq; actum timoris & reverentiæ tantæ Majestatis. 4tò: Progrediatur ad actum spei, doloris de peccatis. 5tò: Concipiat ignitum amorem DEI, & ardens desiderium Eucharistiæ, aliosq;, juxta praxes datas, adhibeat affectus. Providè S: Ambrosius in Orat: ante miss: adjecit: *Quantâ cordis contritione & lacrymarum fonte? quantâ reverentiâ & tremore? quantâ corporis castitate, atq; animi puritate, illud divinum & Cæleste mysterium est celebrandum?*

6. Quam tamen gratiarum actionem adhibes post usum Eucharistiæ Sacramenti? & quanto tempore, cum Christo apud te, præsente moraris? non avertisné aliò mentem & affectum? Transigendum esset saltem mediæ horæ tempus in adoratione & salutatione Christi intimè sibi præsentis, in gratiarum actione pro tanto beneficio. In amore JESU, in ablutione suî, & petitione donorum DEI, suo statui convenientium.

7. Curasné ita omnes vitæ tuæ actiones ordinare, ut per illas te disponas ad rite suscipiendam Eucharistiam, & gratias agas pro suscepta in ante? Visitasné sæpius eâ die Sanctissimum Sacramentum, qua communicas? & quâ devotione, qua grat animi tui expresione? De Seraphica V: Maria Magdalena de Pazzis Carmelitana Rho: l: 3: c: 1: n: 13: tradit, quòd in juvenili ætate à Matre communicante nequaquam avelli potue-

rit: qua de re interrogata, respondit: *latentis Dei vicinitate, intimum voluptatis sensum haurio, & incredibili divinitatis odore mirè recreor, quem sentio.* O utinam omnibus sic sapiat dulcedo Eucharistiæ! utinam ejus odor sic omnium attrahat corda!

§. SECUNDUS.

Primum Passionis Christi Mysterium præcipuum.

IN HORTO.

Plenitudo Sapientiæ est, timere DEUM. *Eccl:* 1.

MEDITATIO

De Imitatione Christi patientis in Horto Gethsemani.

PRæl: 1. Colloca te coram Christo pavente, tristi, & tædiis afflicto.

Præl: 2. Pete gratiam tenerrimæ Compassionis & Imitationis Christi.

PUNCTUM 1mum.

Christus cæpit pavere.

COnsidera: Christus Filius DEI, supremus omnium Dominus, Sanctissimus, innocentissimus, piissimus, mansuetissimus, omnibus benefaciens, humillimus, incipit pavere. Inquire causas pavoris? 1mò: Ut pro tuis in peccando resolutionibus & audaciis satisfaciat. Adhucné tu vilissimus terræ vermiculus audebis in conspectu DEI peccare, cujus conspectum Filius DEI factus homo, sic reveretur & timet? Configе Domine timore carnes meas. 2dò: a pavore & timore Christus incipit pro te satisfacere, ut & tu discas, unde pænitentiam inchoare debeas. Timor te Judiciorum & justitiæ DEI vindicantis peccata omnium, ad constantes pænitentiæ fructus, necessum est, ut impellat. 3tiò: Timet Christus ob tua peccata, ut tu pro tuis concutiaris timore, & seriam de illis agas pænitentiam. 4tò: Pavet Christus, ut tu cum timore & tremore salutem tuam opereris. 5tò: Pavet Christus

ne tu,

né tu, usq; ad extremum vitæ halitum præfidas tibi. 6tò: Pavet Christus, ut tu totâ fiduciâ innixus Christo, non timeas tuos Spirituales hostes, & fortiter sufferas adversa. Vide, utrùm hic pavor Christi in horto omnes hos fructus in te induxit? Discisné ab illo pavente, semper & ubiq; timorem DEI conservare? Operarisné salutem tuam cum omni timore? effecitné in te pavor Christi, né tibi ac tuis confidas viribus, sed totam spem in Deo & ejus auxilio reponas. Redditné te fortem, & non timidum contra hostes tuos? Examina conscientiam tuam, & quidquid defectuosi inveneris, defle, deprecare Christum, roga, ut illos effectus in te operetur.

PUNCTUM 2dum.

Christus cæpit tædere.

CONsidera: Christum voluisse in se tædia suscipere, né tu in Religiosis actionibus, in meditationibus, sacris, Exhortationibus, aliisq; operibus Spiritualibus, tædiô afficiaris. 2dò: Tædium Christus patitur, ut te tædeat vitæ imperfectæ, sensualitati deditæ, tædeat passionum immortificatarum, negligentiarum. 3tiò: Cæpit tædere, ut nos doceat, cum quanto tædio terrenorum, expectare debeamus repromissam nobis vitam æternam, & ad illam ferventiùs aspirare atq; anhelare. 4tò: Afficitur Christus tædiîs, né te tædeat in ærumnis, adversitatibus, doloribus, tribulationibus, pro Christo & salute tua sufferendis. Vide, utrùm ex Christi tædio, hos fructus collegisti? Recurrisné ad Christum tædiîs afflictum, in tuis tædiis, quæ tibi in vita Religiosa occurrunt?

PUNCTUM 3tium.

Christus cæpit mæstus esse.

COnsidera Christum mæstum, & audi dicentem ad Apostolos: *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Et inquire causas tristitiæ Christi. 1ma Est, quia tu nimiùm ex rebus creatis oble-

ctabaris & effusas in illis quærebas lætitias, & consolationes, propterea cor Christi, tantâ repletur tristitiâ. 2dò: Tristatur Christus, ut tu pro peccatis tuis salubriter contristeris, & animi dolorem concipias. 3tiò: Tristatur Christus, omnes tristitias tuas in se transferens, ut tibi æterna præparet gaudia, & quamdiu vivis, hilariter illi servias. 4tò: Tristatur Christus, ne tu nonnisi inter solatia, & prosperitates vivere desideres. 5tò: Tristatur Christus, ne te contristent, quæcunq; in vita Religiosa, tametsi etiam maximè ardua acciderint. Vide, utrùm aliquando ex corde compassus es Christo tristi? an ob ejus amorem abstinuisti ab aliquo creato solatio? Servisne Christo in lætitia? Christus ob tua peccata, tristis fuit usq; ad mortem, & tu quàm vehementer pro illis doles? Elice affectum amarissimæ contritionis. Offer Patri æterno hanc Filii DEI tristitiam pro peccatis tuis.

PUNCTUM 4tum.

Christus orat.

COnsidera: Christi Domini orantis circumstantias, ut eas orando imiteris. 1mò: Abstractus ab omnibus, quàmvis nullas distractiones pati poterat. 2dò: cum profundissima interna, externáq; humilitate, & reverentiâ, genibus flexis & in faciem ad terram usq; prostratus oravit. 3tiò: Cum filiali ad DEUM fiducia, & amore, dicens: Pater! 4tò: Cum plena in divinam voluntatem resignatione. 5tò: Ita ferventer, ut totus sanguinem sudaret. Et tua Oratio habetne istas omnes conditiones? Itane attentè, reverenter, cum tantane ad Deum fiducia & fervore oraturus accedis? Erubesce, defle tuarum Orationum defectus, & negligentias. Offer Christi Orationem pro tuis tepiditatibus. Pete à Christo donum orandi.

IN COLLOQUIO.

COllige guttas sudoris sanguinei in terram defluentes, & applica

plica tuæ animæ. Offer Patri Æterno in ablutionem tuorum peccatorum. *Pater Ave: Anima Christi.*

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

TRibulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me *Psal*: 24.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. *Psal*: 24.

Repletus sum consolatione, superabundo gaudiô, in omni tribulatione nostra. 2. *Cor*: 7.

Communicantes Christi passionibus gaudeamus, ut in revelatione gloriæ ejus, gaudeamus exultantes. 1. *Petr*: 4.

Tristis est anima mea usq; ad mortem. *Matth*: 26.

Salvum me fac Domine, quoniam intraverunt aquæ usq; ad animam meam. *Psal*: 68.

§. TERTIUS.

2dum Passionis Mysterium præcipuum.

APUD JUDICES

Qui rectus est, corrigit viam suam. Non est sapientia, non est prudentia, non est Consilium contra Dominum. *Prov*: 21.

MEDITATIO.

De Injuriis Christo illatis apud Judices.

Præl: 1. Colloca te coram Christo ligato, stante ante Judices.

Præl: 2. Pete gratiam compassionis & imitationis Christi.

PUNCTUM 1mum.

Christus iniquissimè accusatur.

COnsidera, quæ & quantæ calumniæ, Christo imponebantur, quòd esset ambitiosus, & appetens Regni, quòd tributa dare Cæsari prohiberet, quòd esset malefactor, eversor gentis, Templi demolitor, seditiosus, blasphemus, seductor, &c. hæc illi objicie-

ebantur falsò, & quidem in facie Principum Judæorum, ante tribunal præsidis Pilati, in aula Herodis. JESUS autem ad hæc omnia tacebat, non refutabat falsitates, nec comminabatur vindictam, non redarguebat malitiam, sed patientissimè sufferebat omnia. Ut & tu Religiose discas falsa testimonia, iniquas etiam delationes, patienter, fortiter, & silentiô sustinere. Itané in similibus te geris?

Considera 2dò: Cur taceat Christus ad calumnias? 1mò: quidem, quia responsô dignæ non erant. Et quare nos ad indigna quandoq; responsîs convitia, tacere nolumus? 2dò: Né ansam daret obstinatis hominibus, graviùs peccandi; hec & nobis taciturnitatem in calumniis persuadere deberet, né multiplicemus peccata adversarii, & nostra addamus, per quæ Dei Majestas offenditur. 3tiò: ut doceret nos patienter ferre opprobria, maximè cum conscii non sumus objectorum, & tolerata reddant nos coram Deo meliores. Vide, an tu patienter feras obtrectationes aliorum? O quanta confusio nostra! quando Christus tot falsitates in se jactas mansuetissimè sustinuit! & tu vera de te dici non toleras! Erubesce, dole, obfirma animum ad imitandum Christum.

PUNCTUM 2dum.

Christus varias injurias sustinet.

COnsidera 1mò Christum alapis, colaphis & pugnis in faciem cæsum, ex quibus intumuit ille divinus vultus, livoribusq; obscuratus est. 2dò: Tota illa facies speciosissima sputis fædata, & deformata est. 3tiò: Tandem velata, ut libentiùs & petulantiùs illuderetur ei, Christusq; concuteretur. 4tò: Cum latrone Barabba comparatus, & à principibus Judæorum, atq; populo, eidem postpositus. Compatere Christo, & vide, utrùm tu faciem ejus in tua anima non fædaveris? utrùm ejus oculos non velaveris? peragendo illa in conspectu ejus, quæ in oculis hominum nunquam auderes. Erubesce, deprecare Christum.

PUNCTUM 3tium.

Cur Christus has injurias pati voluit?

COnsidera 1mò: Ideo Christus alapas sustinere voluit, ut electi ejus viderent faciem Patris, & ipsius Christi in æternum. O mi JESU! quando ostendes mihi faciem tuam? non sum quidem dignus, desidero tamen & spero. 2dò: Ut satisfaceret pro nostra immodestia in vultu, pro signis iracundiæ, invidiæ, livoris &c. Vide, utrùm & tu non dederis causam tuis peccatis ad confusionem Christi.

Considera 2dò: Ideo Christus voluit fædari in facie, ut omnes animæ nostræ fæditates, deformitatesq; abstergeret; né itaq; eam ampliùs deformare audeas. 3tiò: Voluit Christus sputis deformari, né nos forma alienorum vultuum oblectaret. Videamus, utrùm hos fructus, Christus passus inveniat in nobis. Erubescamus, deploremus defectus immodesti vultus nostri,

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPADI.

QUi Passus es pro nobis JESU Christe, miserere nobis. Recogitemus eum, qui talem sustinuit à peccatoribus, adversùs semetipsum contradictionem, & non defatigemur, animîs nostrîs deficientes. *Heb*: 12.

Tu es patientia mea Domine. *Psal*: 70.

Concede mihi Domine, ut nulla tribulatione, angustia & dolore, à te recedam. *S: Franciscus.*

Doctrina Viri, per patientiam noscitur. *Prov*: 19.

In Patientia vestra posside bitis animas vestras. *Luc*: 21.

Nemini dantes ullam offensam, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia. 2. *Cor*: 6.

Verba iniquorum prævaluerunt adversùm me. *Psal*: 64.

§. QUARTUS.

3tium Passionis Mysterium præcipuum.

IN FLAGELLATIONE.

Sapientia hos, qui se observant, à doloribus liberavit. *Sap*: 10.
In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ. *Eccl*: 1.

MEDITATIO.

De Flagellatione Christi.

PRæl: 1. Constitue te coram Christo, columnæ in medio fori Hierosolymitani, alligato, & dirè flagellato.

Præl: 2. Pete gratiam fructuosæ meditationis, ex qua ad Compassionem Christo, & tuæ Carnis mortificationem accendaris.

PUNCTUM 1mum.

Christus ad Flagella damnatur & nudatur.

COnsidera 1mò: damnationem Christi ad flagella fuisse iniquissimam, ignominiosissimam & crudelem. Fuit iniquissima, quia agnoverat Pilatus Christum esse innocentem, viderat Judæos ex odio, & invidia instare contra Christum; nihilominus tamen addixit eum flagellis, ut & tu Religiose discas innocenter pati, & ob defectus etiam inculpabiles, generosè animô absq; querelis, sufferre assignatas pænitentias. Nō exprobravit Christus Pilato, quòd injustè secum egerit, non querulabatur iniquè se damnatum. Vide & tu, an similiter te geras etiam justissimè punitus. Fuit ignominiosissima Christo; ille enim, qui apud omnes magnus Propheta habebatur, & summopere' æstimabatur ab omnibus, tanquam malefactor publicis pænis subjicitur. Compatere JESU tantam ignominiam forti animô sufferenti, & vide, utrùm & tu sis paratus, pro Deo, pro virtute & justitia pati ignominiam. Pete à Christo eum Spiritum. Fuit tandem illa damnatio crudelis, quâ nullus determinatus est numerus plagarum, sed quamdiu placuit lictoribus,

ctoribus, sinè commiseratione, lacerabant innocentissimam Christi carnem ita, ut totam vulneribûs opplerent. Dura tibi videtur Religiose disciplina Religiosa; compara illam cum Christi flagellis, & expende, utrùm illius non fuerit gravior, & tamen pro te libenter se subjecit Christus innocens. Cur itaq; tu homo peccator vis tam leve disciplinæ jugum excutere? Erubesce, implora à Christo fortitudinem, & spiritum animosæ patientiæ.

Considera 2dò: quanto rubore suffundatur ille vultus Virgineus Christi, cum in conspectu totius Hierosolymæ, exueretur vestibûs, & nudus in omnium oculis appareret. Compatiamur Christo. Tu Domine, arbores foliîs, prata herbarum varietate vestis, & te malitia hominum probrosè denudavit. Simúlq; expendamus causas, cur ita denudari voluerit. 1mò: ut tuam ô homo per peccata, gratiâ & donîs Divinîs spoliate, tegeret nuditatem. O quantas illi laudes & gratias referre teneamur! 2dò: Voluit totus rubore suffundi, in illa suî denudatione, ut satisfaceret pro tot hominum impudentiis. Petamus à JESU, ut omnibus viventibus tribuat verecundiam, né quidquam pudori contrarium audeant. 3tiò: Ut nos doceret paupertatem Spiritûs, & animaret ad exuendos omnes rerum terrenarum affectus, & ad deponendum amorem proprium, extirpandásq; malas inclinationes, & habitus vitiosos, ad abjicienda opera tenebrarum, utq; induamur Dominum nostrum JESUM Christum, pauperem, mansuetum, humilem &c. 4tò: Tandem voluit nudus apparere, ut nobis mereretur vestem Religiosam, vestem gratiæ divinæ, atq; gloriæ æternæ; æstimemus itaq; has vestes, Christi nuditate nobis comparatas, agamus Christo gratias pro illis, appretiemus illas præ omnibus Regum Purpuris. Rogemus, ut in veste Religiosa, & gratiæ, vivamus & moriamur.

PUN.

PUNCTUM 2dum.

Christus columnæ alligatur.

COnsidera Christum, assertorem libertatis nostræ: adstringi columnæ. Alligantur illæ manus, quas aperiens Christus, implebat omne animal benedictione, quas extendens ad cæcos, illuminabat eos, quibus tangens leprosos mundabat, alligantur & pedes, quibus obibat vicos, & oppida, ubiq; benefaciens. Voluit Christus ligari, ut tu in libertate filiorum DEI ambulares, disrumperenturq; omnia vincula, quibus, mundo, carni, vanitati illigabaris? Poterisné exultans cum Psalmista, gloriari? dicens: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Ereptiné sunt pedes, seu affectus tui, de laqueis sæculi? Non permittisné te illaqueari variis rerum caducarum affectionibûs? Roga Christum per ejus vincula, ut te absolvat, ab omni vinculo peccatorum. Cogita item Religionem tuam esse columnam, cui te alligare debet amor vocationis, & Regularum. Paterisné illis religari, ut omnia juxta earum præscriptum facias? Vide, cuinam potiùs conveniat, ligatum vivere, tibiné? an Christo? permisit se Christus, ligari homuncionibus vilissimis; permitte & tu ligari te à Christo, aureîs vinculîs charitatis, votorum, Regularum, inspirationumq; divinarum. Offer his ligandas manus tuas, pedes, linguam, oculos. Dic cum Apostolo: *Ego vinctus in Domino, & vivere, & mori, volo.*

PUNCTUM 3tium.

Christus flagellatur.

COnsidera durissimam flagellationem Virgineæ carnis Christi, 1mò: ex eo, quia secundùm nonnullos Authores, inflicta sunt Christo sex millia, sexcenta, sexaginta plagarum. O quanta ibi delicatissimi corporis laniena esse debuit! 2dò: Quia juxta quos-

dam, in tres partes sunt divisi milites, ad flagellandum Christum, quorum aliqui virgîs, alii nodosîs lorîs, nonnulli ferreîs unguibûs crudelissimè sæviêrunt in Carnem DEI. Conspiciamus defluentem de toto corpore, copiosum sanguinem, cogitemus apparere in multis locis ossa, per abstracta carnis frusta. Compatiamur Christo per totum corpus vulnerato. Expendamus simul, quòd tanta crudelitas, tot plagæ, non amoverunt Christum à columna. Stat immotus sine ullo signo impatientiæ, sine querelis, sine animi suboffensi nota. Discamus & nos, nullis cedere difficultatibus in obsequio DEI, quæ nos flagellare possunt in tota vita Religiosa. Discamus mortificationem portare in toto corpore nostro; nam si virginea Christi Caro, sic dilaceratur; justumné, ut nos corpora nostra, quæ sunt vasa iniquitatis, subducamus ab omni flagello? Proponamus mortificare membra nostra.

IN COLLOQUIO.

ADvolvamur pedibus Christi flagellati, rogando per vulnera & merita flagellationis ejus, ut nobis addat robur ad sustinendas afflictiones vitæ præsentis, nec permittat separari à Columna Sanctæ Religionis.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

NOlo Domine vivere sine vulnere, cùm te video vulneratum *S: Bernard: apud Caraf: in fasc: l:* 2. *Conf:* 13 *n:* 3.

Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra *Isaiæ: c:* 53.

Hîs plagatus sum, in domo eorum, qui diligebant me. *Zachar: c:* 13.

Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbat, quoniam vulnerum Domini recordabor. *S: Bern. ser 66. in Cant.*

Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. *Psal:* 22.

A planta pedis usq; ad verticem, non est in eo sanitas, vulnus & livor, & plaga tumens. *Isa.* 1.

Ego in flagella paratus sum. *Psal:* 37.
Operuit confusio faciem meam. *Psal.* 68.

§. QUINTUS.

4tum Passionis Mysterium præcipuum.

IN CORONATIONE SPINEA.

Sapientia humiliati exaltabit Caput illius. *Eccl.* 1.
Ego sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. *Prov.* 8.

MEDITATIO

De Spinea Corona Christi.

PRæl: 1: Constitue te ad pedes Christi spinîs coronati.

Præl: 2: Pete gratiam tenerrimæ Compassionis & imitationis Christi.

PUNCTUM 1mum.

JESUS Spinîs coronatus.

COnsidera, quòd Christus subduxerit se ab aurea corona, non submovit verò caput à spineo serto, ejus aculeîs usq; ad cerebrum, & ad oculos penetrantibûs, totùmq; verticem, frontem, aures, cruentantibûs. Acutissimos dolores toleravit pientissimè, ostendens Regnum suum non fundari in auro, opibus, plausibus, sed in abnegatione, contemptu suî, in forti patientia; nè & tu appetas delicatus vivere, non attingi, molliter tractari, in omnibus tibi indulgeri. Placetné tibi in Regno Christi esse? non displiceat itaq; & in multis affligi, adversitatibûs opprimi, spinîs non rosîs coronari. Sprevit Christus auream, acceptavit spineam coronam, ut nostras coärgueret ambitiones, doceret contemptum vanitatum & æstimationum hujus mundi. Didicistiné hanc Cælestem ab eo Sapientiam? Erubesce tam longam in schola Christi ignaviam tuam. Pete, ut Spiritu Christi animeris, & vivas.

PUN-

PUNCTUM 2dum.

Proprietates, ac circumstantiæ Spineæ Christi coronæ.

COnsidera proprietates spineæ coronæ, quas in te exprimere contendas. 1ma Proprietas, quòd sit plena ignominiæ. Caput enim JESU, post tot labores, & obsequia hominibus præstita, & post tot beneficia & dona hominibus profusa, post tot sanatos infirmos, à spiritibus immundis liberatos, in cæcitate illuminatos, a lepra emundatos, à mortuis resuscitatos, post tot sui Magisterii sudores, merebatur coronam gloriæ, omni auro & gemmis pretiosiorem: ingratitudo tamen humana, offert illi coronam ignominiæ & opprobrii: ut & nos pro laboribus & obsequiis, non aliam in hoc mundo gratitudinem requiramus, non aliam coronam appetamus, nisi ignominiæ & persecutionum, totam mercedem, & præmia meritorum, ad Cælum reservando:

2da: Proprietas coronæ spineæ, quòd gravissimum dolorem Christo affert: multi enim aculei spinarum, ad intima capitis penetrârunt, multi ad oculos transiêrunt, multi exulcerata cute in Cranio hæserunt, multi frontem exasperârunt, cruentârunt aures, defluebant circumquaq; frequentes rivuli sanguinis, opplebat guttarum defluxus oculos, deformabat vultum, ut rectè Propheta vaticinaretur: *Non est species ei, neq; decor, & vidimus eum, & non erat ei aspectus, virum dolorum & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus ejus.* Isaiæ 53. Vide, quantos dolores pro te Christus tulit; dignumne erit, ut tu velis delicatum esse membrum, sub capite spinoso? Expende quomodo Filius DEI caput suum æterni Patris dispositioni, usq; ad spinas & tribulos subjiciat, ut & tu, judicium & intellectum tuum, divinæ in omnibus dispositioni subdas.

PUNCTUM 3tium.

Christus spinis coronatus, Rex noster esse debet.

COnsidera S: Bernardi doctrinam asserentis, multos de possidendo corde nostro concurrentes: *Venit avaritia, & vendicat in me sedem, jactantia cupit dominari mihi, superbia vult esse mihi Rex, luxuria dicit: ego dominabor.* Quid ergo in tali casu faciendum est? vide & audi S: Doctorem dicentem: *Ego autem quantùm valeo, resisto, Dominum Jesum meum reclamo, & dico, non habeo Regem, nisi Dominum Jesum.* Resistisné & tu expugnantibus tuum cor vitiis? clamasné ad Jesum, ut tibi auxilietur! Protestarisné, te non habere alium Regem, nisi Jesum & hunc spinis coronatum?

IN COLLOQUIO.

COllige sanguinem JESU, defluentem de capite JESU, & elue caput, & cogitationes tuas.

Pater: Ave: &c: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

CHristo in carne passo, & nos eadem cogitatione armemur. 1. *Pet* 4.
Non decet esse membrum delicatum sub spinoso capite.

Caro nostra Caro Christi est, per hanc Regnum Cælorum possidemus *S. Tho: Vill: ser: 1 in Nat: Dom:*

A ratione alienum est, ut qui audiérimus Dominum spinis fuisse coronatum, ipsi habeamus capita floribûs redimita. *Clem: Alex: lib: 2: c:* 8.

Non habeo Regem, nisi Dominum JESUM. *S: Bernard:*

Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum totâ die. *Thren:* 8.

Nemo certare volens, sine vulneribus coronam expectat *S: Chrisost: ser:* 29. *Tom:* 3.

Plenus est mundus spinis, in mundo sunt, in àére sunt, in carne tua sunt; spina, falsus frater, spina vicinus malus.

Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent & nitent. *S: Ber; Ser;* 48. *in Cant:*

§. SEXTUS

5tum Passionis Mysterium præcipuum.

In Crucis Bajulatione.

Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat. *Prov:* 1.

Sapientiam & disciplinam qui abjicit, infelix est. *Sap:* 3.

MEDITATIO

De Bajulatione Crucis.

PRæl: 1. Intuere Christum Cruce onustum, & de Civitate in montem Calvariæ prodeuntem.

Præl: 2. Pete gratiam alacriter & fortiter portandæ Crucis tuæ, & Christum sequendi.

PUNCTUM 1mum.

Christus accedit ad Crucem portandam.

COnsidera, antequam Christus acceperit Crucem portandam, imprimis exuitur veste purpurea, & propriis induitur vestibus, ut discas: si volueris cum Christo portare crucem, necessum esse, ut priùs exuas veterem hominem, omnesq; vitiosas inclinationes & affectus carnis, ac mundi; induas vero mores conformes Christo, nempe humilitatem, mansuetudinem, patientiam, viscera charitatis erga omnes, Spiritum paupertatis, obedientiæ. Voluerat Heraclius portare crucem Christi, nec tamen voluit, priusquam deposito Cæsareo ornatu, plebeium vestitum assumeret, & nudis pedibus incederet. Nec tu speres, constanter te portaturum eandem Crucem, nisi abjecta mundi vanitate, induas Christi virtutes. Vide, quibus vitiis sis obnoxius? quæ inclinationes validiùs te ad terrena deprimunt? exue omnes, transfer omnem affectum tuum in

in Christum, exerceas te in virtutibus Christi. Pete id ipsum à Christo, ut te aptum efficiat ad portandam Crucem.

Considera 2dò: quanto affectu & alacritate. Quantô desideriô, licet gravissimum Crucis lignum, Christus acceptaverit, quanta teneritudine illud complexus sit, acceptumq; humeris imposuerit? sentisné Religiose in te desiderium Crucis? non fugisné illam? aut si tibi occurrerit, non amarôné animo, ac querulosô illam suscipis? Erubesce, dole, pete à Christo: O! Benignissime JESU da mihi gratiam, omnem Crucem, cum desiderio expectandi, & cum gaudio amplectendi.

PUNCTUM 2dum.

Christus bajulat Crucem.

COnsidera, quomodo Christus exhaustus, post tot itinera, quibus ab uno Judice ad alium ducebatur, viribus destitutus ob profusionem sanguinis, in crudeli flagellatione, & spineæ Coronæ dolores, totiusq; Corporis vulnera, libenter subjecit humeros tanto Crucis oneri, non se excusavit evidenti infirmitate virium, non conquestus contra tantam hominum in se, malitiam, sed mansuetissimus, patientissimus procedebat, cum imposito sibi pondere; ut & tu Religiose discas non conqueri, de nimio labore, quòd tibi multa onera imponantur, non concedantur ulli favores, quòd tui respectus non habeatur, quòd in omnibus tui mortificatio intendatur, & repressio. Amplectaris cum gaudio omnem Crucem, quam tibi ferendam imponit divina voluntas. Pete à Christo fortitudinem & generosam mentem.

PUNCTUM 3tium.

Christus invitat ad Crucem portandam.

COnsidera & expende singula verba Christi, invitantis ad portandam Crucem Luc: 9. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.* Ubi

cogita

Cogita 1mò, & examina voluntatem tuam, utrùm defacto velis venire post Christum, venire inquam, ad posſidendum Regnum Cælorum; ſcias itaq; non aliter id te conſecuturum, niſi per abnegationem tuî, & Crucis tolerantiam quotidianam. Parum eſt, ſemel, aut bis, uno vel altero die Crucem Chriſti ferre: qui vult venire poſt Chriſtum, debet quotidie Crucem, ſine intermiſsione per totum vitæ ſuæ curſum ſive in ſuî mortificatione, ſive in occurrentibus adverſis, conſtanter ſufferre. Cogita 2dò: Paucos eſſe, qui Crucem portare velint, tum quia ſuperbi & ambitioſi, tanquam ignominioſam fugiunt Crucem, v. g. nolunt ullam confuſionem, humiliationem ſuî ſuſtinere patienter, nolunt aliis poſtponi &c. Tum quia delicati, & ſenſuales tanquam amaram Crucem, evitare conantur. Tum quia ignavi & torpidi virtutem Crucis ignorantes, & laborem ejus declinantes, renuunt illam portare. Unde S: Paulus, illacrymatur dicens: *Multi ſunt inimici Crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, & gloria in Confuſione ipſorum.* Vide tu, utrùm, non ſis unus de illis? Pete à Chriſto: Trahe me poſt te Domine JESU, ut curram in odorem exemplorum tuorum. O! JESU Crucem bajulans, eſto mihi in Deum. Non venter, non vanitas mundi, ſed tua Crux ſit gloria mea, deſiderium meum, deliciæ meæ. *Pater: Ave: Anima Chriſti.*

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

SAlve Crux pretioſa, ſuſcipe diſcipulum ejus, qui pependit in te, Magiſter meus Chriſtus. *S: Andr: apud: Sur: in Vit:*

O bona Crux diu deſiderata, & jam concupiſcenti animo præparata. *Idem.*

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum. *Matth: 5.*

In paucis vexati, in multis bene diſponentur. *Sap: 2.*

Sicut ovis ad occiſionem ducitur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet. *Iſaiæ 53.*

Tollite

Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris. *Matth*: 11.

§. SEPTIMUS.

6tum Passionis Mysterium præcipuum,

IN CRUCIFIXIONE.

Sapientia filiis suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se. *Sap*: 4.
Per Sapientiam sanati sunt, quicunq; placuerunt Domino. *Sap*: 9.

MEDITATIO

De Crucifixione Christi.

PRæl: 1: Colloca te in monte Calvario, sub Cruce Christi.

Præl: 2. Pete affectum compassionis, & gratiam imitationis Christi Crucifixi.

PUNCTUM 1mum.

Christus Crucifixus exemplar Religiosæ mortificationis.

COnsidera caput Christi spinis cruentatum, sanguine circumfusum, humiliter inclinatum, ut & tu discas in hac vita, non aureas, nec molles, vel odoriferas, aut cum illis Sap: 2. dissolutis juvenculis, roseas, sed spineam, doloribusq; non deliciis plenam eligere coronam. Vide, quam tibi, in hac brevi peregrinationis tuæ via, optas Coronam? illamné, quæ momentaneè delectet, ut æternùm cruciet? an quæ in tempore non nihil affligat, ut æternùm soletur? Decebitné sub spinoso Christi capite, vel ad momentum, te membrum esse delicatum? Erubesce prioris vitæ tuæ delicias. Detrude de tuo capite, omnes tuarum cogitationum vanitates, & mundi illecebras, abjice unâ tecum ad plantas Crucifixi. Protestare, quòd malis usq; ad mortem cum Christo cruciari, quàm cum mundo lætari, ac deliciîs affluere. Compara caput tuum vilissimum & contemptibilissimum, cum capite Christi honorabilissimo, & omni cultu pretiosissimîsq; coronîs dignissimo,

ſimo, interim tamen humiliter inclinato. Audebiſné tu caput tuum erigere? & altô ſuperciliô alios deſpicere? cùm Dominus univerſorum, caput ſuum in Cruce inclinet, & ſe totum voluntati Patris Æterni ſubmittat?

Conſidera 2dò: Aures Chriſti ſpinîs circumſeptas, & vulneratas, ut & tu ſepias aures tuas, nec facilè eas, ad vana audienda convertas. Juxta monitum Spiritûs S: Eccl: 18. *Sepi aures tuas ſpinîs, & linguam nequam noli audire.* Vide, quales aures tuæ? Conſidera 3tiò Oculos JESU, livore, lacrymîs, ac ſanguine ſuffuſos; illi ſunt oculi, qui ſuo reſpectu omnes vivificabant. Viderat Chriſtus Matthæum hominem peccatorem, videndo fecit Apoſtolum. Reſpexit Petrum, & ſolvit in lacrymas pænitentiæ. Viderat Zachæum, & ejus domui ſalutem attulit. Utinam te quoq; ſimili reſpiciat aſpectu. O Domine! reſpice in me & miſerere meî, quia unicus & pauper ſum ego. Pſal: 24. Vide, utrùm non tua peccata, non tua impænitentia, has de ejus oculis lacrymas cum Sanguine expreſsit? Indulgebiſné adhuc curioſitati oculorum, ſpectando Chriſti oculos, Sanguine & lacrymîs ſuffuſos?

Conſidera 4tò vultum Chriſti lividum, conſputum, colaphiſatum, omni ſpecie deſtituum, ac felle & acetô potatum. Ille eſt vultus, in quem Angeli deſiderant proſpicere, cujus viſione omnes Cæli cives beatificantur. Ecce qualis factus eſt! né & tu ab ejus intuitu excludaris, nè creatorum vultuum pulchritudine infaſcineris, præſenta Patri Æterno hanc Chriſti faciem: Reſpice in faciem Chriſti tui, ut non reſpicias plures arenâ maris iniquitates meas.

Conſidera 5tò: brachia Chriſti & manus, in Cruce extenſas & clavîs transfixas. Iſtæ ſunt manus, quæ ægros ab infirmitate ſublevabant, mortuos ex ſepulchro educebant. Iſtæ manus, in quibus omnia bona noſtra, & ſortes noſtræ repoſitæ ſunt, de qui-

 bus

bus omnia dona Cælestia in nos profluunt. Propter nos sunt Cruci affixæ, ut & nos, manus nostras eidem Cruci affigamus, nec ad confringendũ jugũ mandatorũ Dei extendamus. Extensis manibus expectat nos Christus in Cruce; & quoúsq; profugi ab eo per creaturarũ abusus errabimus? quamdiu ad expectantem nos, non revertemur? Revertere, revertere, anima mea, ad Deum Redemptorem tuum!

Considera 6tò latus & cor lanceâ perforatum, & expende, quantus tuî amor in hoc corde ardeat? dum propter te ultimam etiam, quæ sub corde latuit, guttam Sanguinis effudit. Et tuum cor quali ardet amore? Deiné an vanitatum? apertumné Deo & tibi Præpositis? ejice omnes affectus terrenos, & soli Christo consecra cor tuum, ejusq; amori.

Considera 7mò genua Christi attrita genuflexionibûs, allisioneq; ad terram, dum sub Crucis onere fatisceret, & disce, né tædio afficiaris, si diutiùs genuflexionibus fatigeris. Si laboribus frangaris. Vide pedes Christi perforatos, totum corpus laceratum, vulneribus à planta pedis, ad verticem capitis repletum, quàmvis illud esset innocentissimum, nullo nævo maculatum. Et tu tot peccatîs fædatam carnem tuam curasné crucifigere cum suis concupiscentiis, per continuas mortificationes? non ambulasné secundùm desideria ejus? non fovesné illam delicatè in tuam perniciem? Excita te vulneribus Christi ad odium carnis tuæ. Fac illam Deo subjectam & Spiritui. Redige illam omni asperitatum genere in servitutem, né tibi dominetur. Ineas cum ea pactum, exemplô S: Petri de Alcantara, né ullam ei in hoc sæculo requiem præbeas.

PUNCTUM 2dum.

Christus Crucifixus, exemplar Religiosarum Virtutum.

Considera 1mò: quomodo Christus, Dominus Cæli & terræ, tractetur ab hominibus: conspuitur, conculcatur, colaphisatur, Platoni postponitur, inter duos latrones Cruci affigitur, Crucifi-

xus,

xus, ac inter acutissimos dolores positus, irridetur, blasphematur. His tamen Christus non irritatur, non irascitur, imo pro Crucifixoribus orat. O quanta Christi humilitas! quanta patientia! talisné tua Religiose? qui nullam tuî postpositionem sustinere vis, nullo verbo lædi; Erubesce, deprime tuum tumorem: deplora impatientiam. Desidera ab omnibus contemni, & pro nihilo haberi. Pete à Christo Spiritum veræ humilitatis & patientiæ.

Considera 2dò: Christum vestibus nudatum, non habentem, quo sitim suam refocillet, & ubi caput reclinet. O quanta Christi paupertas! utinam & tua Religiose assimiletur illi!

Considera 3tiò: multa Christo, falsò & calumniosè imponuntur; nullus tamen ausus est quidquam ei objicere, in materia castitatis. O quanta Christi castitas! cui nec hostes habent, quod vel falsò objiciant, itané & tu Religiose, in omni conversatione tua procedis, ut nec inimicissimus inveniat, quod tuæ puritati opponat? Vide, ut cautè cum omnibus converseris.

Considera 4tò, quomodo Christus promptissimè executus omnia, quæ imperabant ei licet impiissimi Judices: obtulit manus & pedes ad clavos, corpus ad vulnera & lanienam, vitam ad mortem; in cunctis tractabilissimum se exhibuit, factus obediens, usq; ad mortem, mortem autem crucis. O quanta obedientia! Itané tu promptus es tuis Superioribus in obediendo! itané tractabilis? quàmvis non ità ardua tibi imperantibus. Confundere, dole, abnega temetipsum & voluntatem propriam. Subjice te plenè voluntati, & directioni Superiorum tuorum. similiter expende alias Christi virtutes, constantiam in Cruce sustinenda, fortitudinem in doloribus ferendis, amorem inimicorum, mansuetudinem in molestiis & injuriis sibi illatis. Et vide, ut huic exemplari assimileris.

PUNCTUM 3tium.

Christus Crucifixus: Solatium afflictorum.

COnsidera Christum tanquam fontem omnis dulcedinis, & exhilarationis tuæ, in occasionibus mæroris, & amaritudinum tuarum. 1mò: Enim in occasionibus apprehensionum occurrentium, sub tempus pænitentiarum, sibi inflictarum, recurrat Religiosus ad Christum Crucifixum, & expendat, quanta ille innocentissimus passus est pro nobis? quot flagella sustinuit? vulnera suscepit, & quidem patientissimè, humillimè, sinè murmuratione. Cur itaq; multò levior, quàm fuerit Christo, tibi gravis videbitur Religiosa disciplina? 2dò: Intolerabiles tibi videntur linguæ, aliorum obtrectationes, falsæ delationes, suspiciones, judicia temeraria; statuas tibi ad tuî solatium Christum, inter ludibria, accusationes, illusiones, blasphemias, calumnias, animô pacatissimum, nulla passione perturbatum, modestissimum, amabilem. 3tiò: Graves cuipiam videntur superiores, molesti fratres; recogitet Christum à Judicibus spretum, & iniquè damnatum, à Populo & Principibus, Barabbæ postpositum, & inconcinnis vocibûs, dignum, qui Cruce tolleretur, proclamatum. 4tò: Occurrente cibo insipido occurrat cuivis Christus felle & acetô potatus; occurrente defectu in vestitu, habitatione, occurrat Christus nudus in Cruce, nec habens, quò caput reclinaret. Judicet enim quisq; cuinam magis conveniat, Christoné an misero homuncioni, frui cōmodicatibûs? Ejusmodi considerationibûs, facile quisq; amaritudines vitæ hujus dulcorabit, & Spiritu Christi animabitur ad ardua, fortiter & generosè ferenda.

COLLOQUIUM.

CUm Christo Crucifixo, rogando per ejus Crucem, & vulnera, ut tibi tribuat amorem Crucis, & desiderium quàm plurima patiendi. Per suumq; in Cruce exspirium, inspiret Spiritum, quô animatus merearis conformari Christo Crucifixo.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

TOta vita Christi Crux fuit & Martyrium, & tu quæris requiem & gaudium? *Tho: à Kem: l. 2. c. 12.*

Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. *Matth: 10.*

Qui non bajulat Crucem suam, & sequitur me: non potest meus esse discipulus. *Luc: 14.*

Non est alia via ad vitam, & ad veram internam pacem, nisì via Sanctæ Crucis. *Tho: à Kemp: l: c: 12.*

Vellem nescire quidquam, nisi Christum, & hunc Crucifixum. *Emmanobrega hist: Soc: P: 1: c: 4.*

Domine JESU Christe, DEUS cordis mei, per quinq; illa vulnera, quæ tibi in Cruce, nostrî amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti. *S. Xav:*

Nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini JESU in corpore meo porto, ad *Galat: c: 6.*

Desperarem itaq;, sed non despero, quia vulnerum Christi recordabor. *S. Aug. ser: 74: ad Fratres.*

Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi *Galat: 6.*

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI

De Patientiæ actibus & adjumentis.

Statue te in conspectu Dei, aut sub pedibus Christi Crucifixi. Pete gratiam utiliter instituendi hanc Considerationem.

1. IN afflictionibus cave apprehensiones, & cogitationes melancholicas, distrahe mentem seriùs: & crede nihil in hac vita contingere mali, quod nos affligere debeat, præter peccatum. Unde cum Eudoxia multa minaretur Chrysostomo, responsum illi: *Chrisostomus nihil timet; præter peccatum.*

2. Si id, quod te affligit, præcesſit, cogita: id factum eſt, infectum reddi non poſſe, ad quid ergo te affligis? Si autem futurum eſt? dic tibi, quòd tempeſtivè affligi incipias, antequam afflictionis occaſio veniat, utquid ante tempus affligeris?

3. In afflictione ſerva cor tuum in pace, & quiete; omnem fugiens cordis perturbationem; ſicut monet Chriſtus: *Non turbetur cor veſtrum.* Joan: 14. Et Matth: 6. *nolite ſolliciti eſſe.* Nam juxta ſacram ſcripturam: *Spiritus triſtis exſiccat oſſa.* juvabit te, ſi projicias te in ſinum Providentiæ divinæ; juxta monitum *S.* Petri: *omnem ſolicitudinem projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.*

4. In quavis afflictione, maximè pone ori tuo cuſtodiam, né verbô exerres, aut iracundô, aut murmuratoriô, aut alterius afflictivô, ùt docetur Pſal: 38. *Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret peccator adverſum me; obmutui, & humiliatus ſum & ſilui,* & inferius: *opprobrium, inſipienti dediſti me, obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.*

5. Nullum ſignum impatientiæ oſtendas exteriùs, neq; exaſperes vultum aut frontem contrahas: cave item, né torvô oculô aſpicias, clames. &c.

6. Lætare interiùs, & complaceas tibi in divina voluntate, has afflictiones, tibi aſsignante, ut S: Paulum feciſſe legimus 2. Cor: 12. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in anguſtiis. Item c:* 7. *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudiô in omni tribulatione noſtra.*

7. Revoca tibi in memoriam Paſsionem Chriſti, dolores tot Martyrum, Sanctorum Patrum noſtrorum afflictiones; nunquid tu aliâ viâ ad Cælum progredi deſideras? Audi D: Paulum ad Hebr: 12 exhortantem: *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis*

bis certamen, aspicientes in Authorem fidei & consummatorem Iesum &c. Audi Christum: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Unde in afflictione dic: quid hæc sunt? quæ patior, ad illa, quæ passus est Christus & Sancti DEI.

8. Agnosce te majoribùs afflictionibûs dignum, propter peccata, & dic cum Propheta: *Iram Domini portabo, quia peccavi Ei. Mich 1.*

9. In tribulatione laudandus DEUS, & illi gratiæ agendæ: Sit nomen Domini benedictum &c.

10. Roganda à DEO patientia vg. cum Psalmista: *DEO subjecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.* Psal: 61.

11. Desid. ra plus pati cum Xaverio: Amplius cruciari Domine, ampliùs &c.

12. Ne quæras tunc, & emendices a Creaturis solatiola, caveasq; à querelis.

13. Recurras tunc ad Christum Crucifixum, Eucharisticum. Juvabunt autem te ad patientiam hæc, 1mò: abstractio affectûs ab omni re creata, ex tali enim affectu omnes perturbationes oriuntur. 2dò: Aspicias Cælum juxta monitum Matris Machabæorum, dicentis: *Peto nate, ut aspicias in Cælum.* 3tiò. Cogitando, quòd omnia ista brevi finientur. 4tò: Memoria Passionis Christi.

PARS 3tia.

DECURSUS
Viæ Cælestis Sapientiæ
Per Viam Unitivam.

POstquam Religiosus Viator, in Ingressu viæ Cælestis Sapientiæ, omnia sui cursus amovit impedimenta, labesq; expiavit; postquam in progressu ejusdem viæ instruxit Intellectum, luminosis perfectioris vitæ veritatibus, accendit prælucentibûs Incarnatæ Sapientiæ exemplîs animum, & congruas suo statui consecutus virtutes; tandem in decursu, 3tium istud, perfectæ cum DEO unionis iter prosequendum est, ut ad æmulam Comprehensorum in Cælis felicitatem proximo gradu accedatur. Triplici autem potissimùm passu ad eam cum DEO unionem perveniet Religiosus viator. 1mò: Gloriosæ Resurrectionis & Ascensionis Incarnatæ Sapientiæ, diviniq; Spiritûs participatione. 2dò: Dilectione DEI & proximi. 3tiò: Inviolabili religiosorum votorum nexu.

CAPUT 1mum.

De participatione gloriosæ Resurrectionis, & Ascensionis, diviniq; Spiritûs.

PArticipatio Resurrectionis ac Ascensionis, quæ per imitationem obtinebitur, viatori divinam inspirabit vitam. Et Spiritus Sancti adventus efficiet, ut unus sit Spiritus cum DEO. De singulis.

§. PRIMUS.

De Resurrectione Christi & ejus imitatione.

MEDITATIO

PRæl: 1. Colloca te ad Sepulchrum Christi, ex quo gloriosissimus Christus resurgit.

Præl: 2. Pete gratiam fructuosæ meditationis, ex qua possis inducere novam morum vitam, & in ea ambulare.

PUNCTUM 1mum.

Christus Resurgens: spes resurrectionis nostræ.

COnsidera Christum Dominum, cum eductis è Limbo Patribus, venisse ad sepulchrum, in quo corpus ejus jacebat, & ostendit iis illa vulnera, & lanienam, quam subiît ex eorum amore. Vide, quomodo mirentur tantam Christi dignationem? qua submissione & affectu ei gratias agant? quo amore in illum ferantur? atq; eum dilaudent. Mox Christus suâ omnipotentiâ, collecto suo sanguine, in passione effuso, implet venas Sanctissimi corporis, evulsas carnis partes, & capillos suis locis restituit, tandémq; Sanctissima Anima illud corpus animavit, & in ictu oculi, ita transformavit, ut clariùs ac splendidiùs sole evaserit, admirantibûs & adorantibûs Sanctîs illîs de captivitate eductîs. Credisné id anima mea? Credo Domine, credo. Tu adjuva incredulitatem meam. Elice actum gaudii de tanta gloria Christi Domini. Gratulare ei eandem. Excita in te spem resurgendi similiter in carne tua glorificanda per merita Christi. Expende autem, illos tantùm cum Christo resurrecturos in gloria, qui in hac vita fuerint cum eo passi, juxta S. Paulum Rom. 8: *Si tamen compatimur, ut conglorificemur.* Resolve te ad patienda plurima pro Christo, ut resurgas gloriosus cum Christo.

PUNCTUM 2dum.

Quis modus resurgendi, Christi?

COnsidera Christum resurrexisse a mortuis: 1mò, relinquendo feralem amictum, ita, ut non ampliùs moreretur, ut nobis præberet exemplum, & Idæam justificationis nostræ; ita enim a sepulchro peccati resurgere debemus, ut relinquamus antiquos vitiosos habitus, & occasiones peccandi. 2dò: Renovatum corpus,

 gloriosis

gloriosîs dotibûs ornatum reassumpsit. Et nos in justificatione nostra novam vitam gratiæ, perfectam, & omnibûs virtutibûs plenam inchoare debemus. 3tiò: In glorioso corpore vulnera manuum, pedum, & lateris remanere voluit. Expende hujus rationes: Tum ut videas, vulnera, quæ hic patimur, futura esse ad majorem gloriam. Tum ut habeamus, quò refugiamus in nostris necessitatibus. Tum ut illa repræsentet Patri æterno pro nobis. Tum ut in die judicii, sint ad exprobrationem damnatis, quæ illis ob eorum malitiam nihil profuerunt. Adora hæc gloriosa vulnera Christi. Roga, ut te intra illa recipiat & abscondat: Intra vulnera tua absconde me.

PUNCTUM 3tium.

Qualis nostra resurrectio debet esse in hac vita?

Considera, quomodo induere debeas, dotes gloriosi corporis Christi. 1mò: Sicut 1ma dos gloriosi corporis fuit claritas, ita & nos prælucere debemus proximis nostris, bonô vitæ exemplô, & Sanctæ conversationis. 2dò: Sicut corpus Christi fuit impassibile, ita & nos debemus reddi impassibiles, per mortificationem sensuum & passionum nostrarum. 3tiò: Sicut fuit corpus Christi agile, ita & nos debemus esse agiles in promptitudine obedientiæ, & operum obsequii Divini. 4tò: Induamus Christi subtilitatem, per munditiem corporis & animæ Angelicam, & intimam cum DEO in spiritualibus exercitiis communicationem, & penetrationem. Excita te ad hæc, & pete a Christo donum illarum dotum, & gratiarum.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Laudate Dominum, quia bonus Dominus, psallite nomini ejus, quoniam suave. *Psal.* 94.

Vivat JESUS meus, & exaltetur Rex Salutis meæ.

Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? an

an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? *Philipp:* 3. DEO gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum JESUM Christum 1. Cor: 15.
Vivit Dominus, & benedictus DEUS meus, & exaltetur DEus salutis meæ. *Psal.* 17.

§. SECUNDUS.

De Ascensione Sapientiæ Incarnatæ.

PRæl: 1. Fiat loci collocatio in monte Oliveti coram Christo ascendente in Cælum aspicientibûs Apostolis.

Præl: Petenda gratia fructuosæ de hoc Mysterio meditationis, & præcipuè ut ex illa exardescat cor ferventî desideriô Patriæ Cælestis.

PUNCTUM 1mum.

Cur de monte ascendit Cælos?

COnsidera, quòd Christus Dominus, eduxerit discipulos suos ad montem Oliveti, & videntibûs illis elevatus est, simùlq; inquire causas, cur non ex planitie aliqua, sed ex alto monte voluerit Cælum ascendere? 1ma hujus rei causa potest esse: quia voluit nos docere, quòd ad magnam virtutem, & excelsam perfectionem eniti debeat, qui rectà ex hac vita in Cælum ascendere cogitat. Vide tu, qualis tua virtus? qualis progressus in virtutum exercitio, & perfectionis cura? O quantum adhuc distas à perfecta humilitate, patientia, paupertate, castitate, obedientia! Erubesce, deprecare DEUM, deplora tuum teporem. Excita te ad ferventius studium; *Dixi nunc cœpi.*

2da causa est, ut disceremus non in terrenis defixam esse debere mentem nostram, non mundanis inhærere cor, sed ab omni vanitate abstractos affectus, & cogitationes elevare in Cælum. In Cælis debet esse conversatio nostra, si illuc transferri exoptamus.

mus. Examinemus cogitationes & affectus nostros, in cælestibusné meditandis occupantur? an caducis, & transitoriis afficiuntur? Colligamus omnia vota & desideria nostra, elevemus in cælum. Excitemus animam cum Psalte; *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Placebo Domino in Regione vivorum. Psal:* 114. Exardescamus desideriô cælestis Patriæ; *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Psal*: 83.

3tia: Né quis sibi blandiretur de facilitate obtinendi cæli, putaretq; sine labore ac occurrentium difficultatum victoria posse se illud consequi, duxit discipulos in altum montem, & post superatas itineris molestias, in cælum elevatus; ut & nos labore, & sudore inquireremus illam æternam beatitudinem. Audiamus S: Prosperum monentem; *Non otiosis aut dormientibus provenit Regnum Cælorum, non otiô, & desidiâ torpentibus, æterna beatitudo ingeritur.* Et tu quid hucusq; egisti pro cælo? quid sustinuisti? Confundere. Pete à Christo, ut trahat post se cor tuum, & tribuat tibi Spiritum plura agendi & patiendi pro Nomine suo,

PUNCTUM 2dum.

Elevatîs manibûs benedixit eis, Luc: 24.

CONsidera, quòd Christus elevatîs manibûs benedixit discipulis suis, ostendens non terrenam se illis, quæ nec satiat, nec hominibus Sanctis sapere potest, sed cælestem largiri benedictionem; Et tu quam tibi optas? terrenasnè divitias, quæ citò effluunt, an Cælestes desideras! vanamné populi auram, an Dei gloriam quæris? sensualiané oblectamenta te infatuant, an æternæ beatitudinis torrens voluptatis sitim accendit? hicné commoditates, an in Cælis perennem postulas requiem? Renuntia hisce omnibus transitoriis, pete supplex Cælestem à Christo benedictionem. Et vide, cum quanta submissione, & suî prostratione recipiant eam discipuli,

inclina

inclina & tu caput tuum, demitte cor contritum & humiliatum; postula à Christo, ut ejus cælestis benedictio tecum semper maneat, & ubiq; te comitetur.

PUNCTUM 3tium.

Videntibûs illîs elevatus est. Act: 1.

CONsidera, quo affectu immotîs oculîs euntem in Cælum Christum discipuli contemplentur? quomodo stupore & admiratione defixi, spectant eum, quem nuper Judæi conspuebant, conculcabant, odiîs prosequebantur, & Cruci affigebant, nunc in tanta Majestate, & potentia, cælum ascendere; qui humiliavit semetipsum, formam servi accipiens, factus obediens usq; ad mortem, ita gloriosè obsequentibûs nubibûs, ministrantibûs Angelîs, per àéra elevatur super sidera. Quis Christi non imitabitur humilitatem? quis in hac vita recusabit in abjectione, in contemptu jacere? quis pati & despici non cupiet? ut exaltetur & regnet cum JESU. *Videntibûs illîs elevatus est.* Non frustra Christus spectatores suæ elevationis & gloriæ, voluit habere Apostolos, ut scilicet illos similis gloriæ implens desideriô, ad pares provocaret labores. Sentisné in te desiderium gloriæ cælestis? cupitné animus tuus illic assistere, ubi se sperat sinè fine gaudere? Audi D: Greg: hom: 37. in Evang. monentem: *Ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores. Delectat ergo mentem magnitudo præmiorum? sed non deterreat certamen laborum.* Resolve te ad omnia vitæ Christi insignia, ad paupertatem, contemptum & dolores; & certus eris ejus coronæ, annuente Apostolô: *Non coronabitur, nisì qui legitimè certaverit.*

IN COLLOQUIO.

GRatulaberis Christo triumphos, post tot superatos labores & adversa. Ages gratias Deo Patri pro exaltatione Christi. Desiderabis eum videre & amare in cælo in æternum. Petes ab eo, ut

abſtrahat cor tuum à terrenis, & ibi fixum faciat, ubi ſunt vera gaudia. *Pater: Ave: Anima Chriſti.*

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

JESU Tibi ſit gloria, qui victor in cælum redis, cum Patre & almo Spiritu in ſempiterna ſæcula.

Vivat JESUS in cælo triumphans.

JESU aſcendens ſuper omnes cælos, te adoro, te amo, te deſidero, ſis benedictus ab omnibus, ſuper omnia.

§. TERTIUS.

De Spiritu Sancto.

UT participatio Divini Spiritûs comparetur; duplici meditatione ad id præparandus animus, quarum 1ma de adventu ejus agens, exponet neceſsitatem & media illius percipiendi. 2da. Fructus, quos operatur in nobis explicabit.

MEDITATIO. 1ma.

De Adventu Spiritus Sancti.

Præl: 1. Statuamus nos in ea domo & loco, ubi Sancti Apoſtoli, repleti ſunt Spiritu Sancto.

Præl: 2. Petamus gratiam fructuoſæ Meditationis de deſcenſu Spiritûs Sancti.

PUNCTUM 1mum.

Neceſſitas Spiritûs Sancti.

COnſidera neceſsitatem 1mam Spiritûs Sancti eſſe, quia ſinè illo, ejusq; gratia, nullus homo vivere, nullus moveri, ac eſſe poteſt, ſpiritualiter, ac meritoriè; in illo enim vivimus, in illo movemur & ſumus. Hinc. S: Paulus 1 Cor: 12. docet: *Nemo poteſt dicere: Dominus JESUS, niſi in Spiritu Sancto.* Et S. Auguſtinus Ser: 2. Sent: ait: quod eſt anima corpori hominis, hoc eſt Spiritus S: Corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia; atq; cuivis particulari membro

membro ejus. Debemus igitur ita, aut magis, prout animam nostram, diligere, custodire, ac conservare Spiritum Sanctum. Videamus, quæ est in nobis ejus dilectio? quæ diligentia in eo conservando, & custodiendo? confundamur, humiliemus nos, coram Spiritu Sancto, confiteamur negligentias nostras, invocemus eum.

2da Necessitas est, ut ab eo directionem habeamus in hac peregrinatione nostra, né exerremus à viis rectis, juxta illud Psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Pensdemusné à directione ejus? obsequimurné illius inspirationibus? Audiamus monentem Apostolum ad Galat. 5: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Et inferiùs *Si Spiritu vivimus, Spiritu, & ambulemus.*

3tia Necessitas Spiritûs Sancti, ut doceat nos rerum pretia, illaq; æstimemus, quæ merentur æstimationem, prout sunt æterna, & salutem animæ nostræ concernentia, contemnamus verò caduca, & transitoria; ita enim sine Spiritu Sancto sumus, sicut esset mundus sine luce, aut in nocte domus sine lucerna; ubi nulla tunc agnoscitur rerum dignitas, & æquè aurum lutum conculcatur; imo, quæ putrida sunt, auri fulgorem induunt. Non subjacemusné & nos ejusmodi erroribus? Imploremus Divini Spiritûs lucem, quæ illuminet tenebras nostras, & erudiat ignorantiam nostram, juxta promissionem Christi: *Ipse vos docebit omnia.*

4ta Necessitas, ut nos cum Deo uniat, & intimé illi adhærere faciat, tum per intellectum nostrum, qui viva quædam Imago Dei fiat, ejusq; perfectionum, tum per voluntatem, inflammatissimis desideriis eam accendendo, amoreq; replendo, & ad omnes nutus ac dispositiones divinas inclinando, tum per mores, totamq; vitam Christo Domino conformem, ut hac ratione, de virtute in virtutem progrediamur, donec videatur clarè Deus Deorum in Sion.

Veni

Veni Sancte Spiritus, effice hæc omnia in nobis. Simus quæso per tuam gratiam, unus cum DEO Spiritus; ut nihil aliud cogitemus, nihil spiremus, nihil velimus, nisi, quod DEO placet, ejusq; gloriam promoveat.

5ta: Necessitas est, ut addat vires & robur ad superandas tentationes, sine cujus auxilio velut arundo, ventô agitamur, jactamurq; sicut pulvis à facie venti. Novimus, quàm infirmi fuerint Apostoli, ante adventum Spiritûs Sancti, & quàm fortes post illius susceptionem. Totis ergo præcordiorum desideriis anhelemus, ac suspiremus in Cælum, ut eum nobis petentibus mittat Pater æternus, licet indignis, propter infinitam bonitatem suam, mittat Filius DEI Unigenitus propter ineffabilem erga nos charitatem suam. Invocemus Sanctum Spiritum cum Ecclesia: Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple supernâ gratiâ, quæ tu creâsti pectora. Assumamus affectus, devotionem, ardentissimaq; omnium Sanctorum corda, & in illorum affectu desideremus repleri Spiritu Sancto.

PUNCTUM 2dum.

Media recipiendi ac conservandi Spiritus S.

Considera medium recipiendi, ac conservandi Spiritûs Sancti.

1mo: Odium carnalium ac sensualium oblectationum: nam, ut ait Sanctus Chrysostomus hom: 24 in Epi: ad Hebr: Sicut aranearum stamina flatum venti non suscipiunt, ita anima sæcularis, nec homo animalis, gratiam poterit Spiritûs Sancti suscipere. Et DEUS decrevit. Gen: 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est.* Expendat quisq;, quantùm se abstraxerit a sensualibus: videat, utrùm non sit infixus in limo profundi? non abripiaturve sensuum illecebris? *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Psal: 50.

2dum Medium est: fervens ac frequens Oratio; non aliter

enim & Apostoli acceperunt Spiritum Sanctum, nisi præmissa longiori Oratione, ut legitur. Act: 1: *Erant perseverantes in Oratione unanimiter.* Et Christus. Luc: 11: promisit dicens: *Pater vester de Cælo dabit Spiritum bonum petentibus se.* Usurpasné sæpiùs orationem? & quis in illa fervor? quæ applicatio?

3tium Medium: pacis & concordiæ studium, quia sicut rectè S. Augustinus: Serm: 2: ad FF: in Erem: dicit: Sicut Spiritus humanus nunquam vivificabit membra, nisi fuerint unita, sic Spiritus Sanctus, nunquam nos vivificabit, nisi pace uniti fuerimus. Pacificèné cum omnibus vivimus? vitamusné contentiones?

4tùm Medium est: bonorum operum & virtutum exercitium; sicut enim lucernæ lumen fovetur oleô, ita Spiritus Sanctus, velut animæ lumen & ignis, nonnisi bonis operibûs custoditur. Expende, quæ opera bona? quas virtutes exerces? habesné illas ac illarum actus dispositos, in horas, dies, ac menses? Erubesce segnitiem tuam. Propone & seriò insta exercitio variarum virtutum.

PUNCTUM 3tium.

Dona Spiritûs Sancti.

CONsidera septem dona Spiritûs Sancti. 1mum donum, Sapientiæ, quo prægustamus gaudia Cælestia, juxta illud Psal: 33: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* 2dum donum est scientiæ, quo salutis via, divinæq; voluntatis regula cognoscitur & fraudes mundi, carnis, ac dæmonis deteguntur: 3tium, Intellectûs, quo dubia, perplexitates, nebulæ diffidentiæ, & torpores in operando, credendo, & sperando pelluntur. 4tum Donum Consilii, quo media salutaria, ad evitanda peccata suggeruntur. 5tum: Fortitudinis, quo robur acquiritur ad superandas difficultates. 6tum Pietatis, quo cor emollitur ad bene operandum. 7mum. Timoris DEI, quo comprimitur timor mentis, & ani-

mus compungitur. Vide, quantùm egeas hisce donis? Pete illa à Spiritu Sancto, per omnes miserationes ejus.

Veni Sancte Spiritus &c. *Pater Ave.*

ACTUS MENTE VOLVENDI.

NUlla in discendo mora est, ubi Spiritus Sanctus Doctor adest. *V. Beda hom: 9: in Luc:*

Veni dator munerum, veni lumen cordium.

MEDITATIO 2da.

De Fructibus Spiritus Sancti, quos operatur in nobis.

PRæl: 1: Statue te in Cænaculo ad pedes Apostolorum recipientium Spiritum Sanctum.

Præl: 2: Pete gratiam recipiendi Spiritûs Sancti.

PUNCTUM 1mum.

Primus fructus Spiritus Sancti: Charitas.

COnsidera 1mum fructum Spiritûs Sancti, quem descendens in Apostolos, operatus est in eis, esse: sinceram & ardentem charitatem DEI. Spiritus enim Sanctus, est amor increatus & substantialis, quo Sanctissimæ Trinitatis Personæ, nempe Pater & Filius ad invicem, se diligunt; siquidem per Spiritum Sanctum, Pater æternus amat Filium & Filius Patrem æternum, & nos similiter teste S. Paulo per illum amamus DEUM nostrum. Nam juxta S. Fulgentium non possumus amare DEUM, nisi per ipsum DEUM: & priùs oportet suscipere DEUM, antequam illum amare incipiamus. Ob eam rationem Spiritus Sanctus descendit in Apostolos in forma ignîs, ùt ostenderet se venisse ad accendenda corda Cælesti igne, quem Filius DEI succensurus erat, & de Cælo in terras missurus, juxta illud. *Ignem veni mittere, & quid volo, nisi ut accendatur?* Et sic Apostoli accipientes Spiritum Sanctum, senserunt in cordibus suis Cælestis flammæ incendia, quæ per orbem dispergebant, frigida hominum accendendo

do corda. Vide, an & tuum cor inflammetur igne amoris Divini? ardetné, & quibûs flammîs cor tuum? erubesce coram Deo, & confitearis tepiditatem tuam, frigidumq; cor ad pietatem, virtutesq; exercendas. Concipe fervens studium Divini Spiritus, & charitatis per eum in corde tuo diffundendæ. Pete a Spiritu Sancto, ut inflammet cor tuum & saltem scintillam igniti amoris mittat in cor tuum. Veni Sancte Spiritus. Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus &c.

PUNCTUM 2dum.

Secundus fructus Spiritûs Sancti: Zelus Gloriæ DEI.

COnsidera 2dum fructum Spiritûs Sancti, esse ingentem zelum gloriæ Divinæ, quo Apostolos, in suo adventu replevit Spiritus Sanctus, cum illoq; zelo in totum orbem dimisit, ut ubiq; prædicarent magnum Nomen Domini. Et sic vix S. Petrus illo Spiritu donatus est, statim inchoavit concionem, & primo suo sermone, octo millia hominum ad fidem Christi adjunxit. Inaudita res & admiratione digna, quòd duodecem piscatores, non præditi Sapientiâ, non eloquentes, nec ullis talentis ornati, ipso tantùm Spiritu repleti, in omnibus ferme finibus terræ fundaverunt in hominibus gloriam Christi Domini. Et ex illorum persuasione, tot argutissimi Philosophi, eloquentissimi Oratores, sapientes hujus mundi, Principes, Reges, Imperatores agnoverunt hunc esse DEUM, qui in cruce tanquam homo mortuus. Vide, quare tu ita negligis promovere gloriam Christi? nonné ex eo, quia parum, aut nihil amoris Divini, in corde tuo ignescat? quia Spiritus S. non est in te. Ah! Domine mi, totum me deberem impendere gloriæ tuæ propagandæ, & ecce ita negligens ac tepidus sum: imple itaq; me Spiritu tuo, ut te, toto me, totis viribus, omnibus diebus vitæ meæ, laudare, ac prædicare non cessem.

PUNCTUM 3tium.

Tertius fructus Spiritus Sancti: Fortitudo.

COnsidera 3tium Fructum Spiritûs Sancti, esse fortitudinem, & inexpugnabilem generositatem, firmitatemq; mentis, quàm Spiritus Sanctus indidit cordibus Apostolorum, ut nullis periculis, nullis tormentis, deterrerentur à prædicatione Nominis Christi. Illi Discipuli, qui olim timidi fugerunt à Christo, ex quibus primus Petrus, Princeps Apostolorum destinandus, & caput Ecclesiæ, ita ancillæ ostiariæ sermonem expavit, ut negaret Christum, illi inquam Discipuli, qui ob timorem Judæorum, diutius delituerunt, intra cænaculum congregati, tandem post receptionem Spiritus S: facti sunt fortes in bello, tanquam imperterriti leones nullis cedebant periculis, nullis persecutionibûs movebantur. Cum animi resolutione in conspectum tyrannorum veniebant, ut non solùm minas, & verborum terriculamenta nihili facerent, sed etiam verbera ac tormenta quævis gravissima riderent. Ultro evolabant ad mortem, desiderando, sanguine suo consignare testimonium Fidei de vera Domini JESU Divinitate. Taliter immutavit adventus Spiritus Sancti Apostolos; & quare similes effectus in corde nostro non facit? Cur plus humanis respectibus deferimus, quàm Christi amori? cur tam forti animo non vincimus obstacula salutis & perfectionis? Erubescamus imbecillitatem nostram, petamus, ut nobis det donum fortitudinis ad superandas omnes adversitates.

Veni Sancte Spiritus,
& emitte cælitus lucis tuæ radium.
Veni Pater Pauperum,
Veni dator munerum.
Veni lumen Cordium.
Sine tuo Lumine,

Nihil

Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

SPiritum Sanctum ne auferas à me *Psal: 50.*
O quam suavis est Domine Spiritus tuus! *Sap:* 12.
Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ *Psal:* 13.
Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me. *Psal: 50.*

CAPUT 2dum.

De Dilectione Dei & Proximi.

CErtissimum est, & fide Evangelii firmatum, Perfectionem hominis in amore Dei consistere; quia tamen amoris Dei pars sublimissima, & purissima est, conformitas cum Dei voluntate, a qua integritas pendet perfectionis consummatæ; ideo agendo de amore Dei, adjungetur meditatio 2da de conformitate voluntatis humanæ, cum voluntate Divina; Tertio commendabitur Devotio ad Beatissimam, illius amor. Quarto deniq; amor Proximi evolvetur.

§. PRIMUS.

De Amore DEI.

Quid sit verè amare DEUM! quæ necessitas & felicitas hominis? declarabit, quæ sequitur.

MEDITATIO.

Quid sit amare DEUM? quæ necessitas & felicitas.

PRæl: 1: Colloca te in conspectu Dei, & omnium Sanctorum inflammatissimis cordibus amantium DEUM.
Præl: 2: Pete gratiam ardentissimè amandi Deum.

PUNCTUM 1mum.

Quid sit amare DEUM?

COnsidera 1mò: quòd ille amet Deum verè, qui illum æsti-

mat & appretiat super omnia; eumq; præfert universis. Hinc quicunq; vult sincerè amare Deum, debet illum plus amare, quàm consanguineos, quàm amicos, quàm suas commoditates, quàm famam, quàm honorem, quàm vitam, ita, ut paratus sit potiùs hæc omnia perdere, quàm Deum vel minimo deliberato peccato offendere; debet item omnia, quæ sunt in mundo, aversari, odiô habere, & quandocunq; impedirent in amando Deo, vel periculum facerent amittendæ gratiæ Divinæ; abominanda sunt tanquam maxima mala, ac detestanda. & hæc doctrina Christi nobis in Evangelio relicta, ubi dicit: Qui non odit Patrem & Matrem, insuper & animam suam, non est me dignus.

Considera 2dò: qui amat DEUM sincerè, non solùm paratus esse debet ad amittenda omnia terrena, sed etiam ad omnia potiùs adversa patienda, quàm ut vel minimum detrimentum amoris subeat. Talis amor fuit S: Pauli, qui dicebat. *Quis me separabit à charitate Christi? an tribulatio? an fames? an nuditas? an persecutio? an gladius? certus sum, quia nihil horum, neq; mors, neq; vita, neq; Angeli poterunt separare. ad Rom:* 8. Talis resolutio & magnanimitas fuit Omnium Sanctorum Martyrum. Videamus, utrùm & nos ita generosos fovemus Spiritus, utrùm tanta fortitudine præstamus. Ah! non apud unum fortassis plùs valet respectus humanus, propria commoditas, & libertas, quàm Dei amor. Nugæ quandoq; abstrahunt nos ab amore Dei. Sumus tanquam folium, quod ventô rapitur. Erubescamus. Petamus robur & constantiam in amore Dei. Omnia enim fieri debent in charitate Dei, ut sint salutaria animæ. Hinc S: Paulus. 1. Cor: 13. ait. *Si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, Et si distribuero in cibos pauperum, omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

PUN-

PUNCTUM 2dum.

Necessum est omnino, ut ametur Deus.

1mò: OMne bonum connaturaliter amatur. Sic pulchra ~~amantur~~, dulcia, illustria amantur; Deus autem est summum ac infinitum bonum; est enim summa pulchritudo, summa dulcedo, summa charitas, summa sapientia, summæ divitiæ &c. Omnes pulchritudines, charitates, dulcedines creatæ, sunt velut stilla roris antelucani ad Oceanum. Si itaq; has amant homines, multò magis debent amare Deum; præsertim cum bona creata sint defectibilia, mutabilia, non diuturna; Deus verò est bonum perenne, immutabile. Est pulchritudo immutabilis, suavitas indefectibilis, charitas inextinguibilis &c.

2dò: Bonum, quòd suam bonitatem in nos diffundit, exigit amorem; si incredibile est, ut illæ personæ, à nobis non amentur, quæ nobis bene faciunt: et quomodo poterimus non amare Deum, qui cum sit in se summum bonum, maxima in nos diffundit beneficia, nos ipsos dedit nobis, creando nos ex nihilo, conservat nos, redemit, tot media ad salutem suppeditavit, ad Religionem vocavit, omnia creata ad obsequia nostra ordinavit. Nullum momentum est, quo nos multis bonis non repleat. Ergoné tot beneficiis non excitabimur ad amandum Deum. Ergoné ingrati tanto benefactori vivemus? & hîs ipsîs, quæ ex ejus beneficio habemus, ad illius offensam abutemur? O mirabilem bonitatem tuam Deus! sed mirabilem & malitiam cordis nostri, quod nullîs tuîs gratiîs emollitur, nullîs donîs flectitur.

3tiò: Consideranda est magnitudo beneficiorum Dei, tum ex dignitate Dei conferentis, tum ex vilitate hominis accipientis, tum ex ipsa donorum æstimabilitate, tum deniq; ex affectu & nimio amore dantis. Cogita ô homo! quis & quantæ perfectionis est ille, & Majestatis, qui dat? Deus est, se solo sibi sufficientissimus, nul-

lius

lius egens. Tu vilissima, indignissima creatura. Dat Deus quædam infinitæ dignitatis & æstimabilitatis dona, quale dedit Pater, cum mitteret Filium suum in terras, ut esset Magister, Pastor, Pater & Advocatus omnium. Dedit Filius se ipsum in mortem pro nobis, & in cibum pro usu nostro. Dedit Spiritus Sanctus, & dare non cessat tot dona supernaturalia tot lumina, auxilia &c. Parumné nobis Deus dedisse videtur? Ah quanta obcæcatio & duritia cordis nostri! pauxillum panis, si cani projiciatur, fidelem illum ab obsequiis habemus: & Deus tot suis beneficiis non potest apud nos emere vilissima obsequia nostra. Erubescamus, deploremus ingratitudinem nostram. Petamus à Deo, ut inter alia beneficia, & hoc nobis tribuat, né ingrati ei, vivamus.

PUNCTUM 3tium.

Tota felicitas nostra in amore DEI.

COnsideremus, siquidem Deus nos creavit propter se; impossibile est, ut alibi quieti & felices vivamus, nisi in solo DEO. Hinc S: Augustinus: *Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Nihil Deus plus desiderat ab homine, nisi cor ejus, nihil homini ad felicitatem quidpiam prodest, præter Deum. Habemus animam, quam solum summum bonum replere & satiare potest, cætera possunt eam occupare, & ad breve tempus distrahere, non tamen pacificare. Quid ergo alia curamus? cur soli DEO non adhæremus? abstrahamus itaq; à creaturis omnes affectus nostros, transferamus in Deum, dicamus cum Psalte: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? præter te Deus cordis mei & pars mea, Deus in æternum.

COLLOQUIUM ex S: Augustino.

DOmine spes Sanctorum, & turris fortitudinis eorum, Deus vita animæ meæ, per quam vivo, sine qua morior, lumen oculorum meorum, per quod video, sine quo orbor, gaudium cordis

mei,

mei, & lætitia spiritûs mei diligam te toto corde meo, & totâ animâ meâ & totîs medullis & visceribûs meîs, quia tu prior dilexisti me. Soliloq;. c. 7.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

DIligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Psal*: 17.

Surgam & circuibo civitatem, quæram, quem diligit anima mea. *Cantico*: 3.

Mihi, adhærere DEO, bonum est, ponere in DEO spem meam. *Psal*: 72.

§. SECUNDUS.

De Conformitate cum Voluntate Divina.

NUlla alia ma or cura viatoris Religiosi esse debet, quàm ut in suæ perfectionis gradu, & termino consistat, ad quem quia compendiosissima est via per conformitatem cum voluntate Divina, ut in cunctis rebus unum idemq; sit velle & nolle Religiosi, quod est Majestatis Divinæ; ideo hanc perfectionem ingeret, quæ sequitur.

MEDITATIO

De Perfectione Religiosi.

PRæl: 1: Constitue te coram Christo Magistro perfectionis docente te in Oratione Dominica per illam petitionem: Fiat voluntas tua sicut in Cælo & in terra, viam compendiosam perfectionis Religiosæ.

Præl: 2: Pete gratiam cognoscendæ & implendæ voluntatis, Divinæ.

PUNCTUM 1mum.

Voluntas Divina; mensura omnis perfectionis.

COnsidera, quòd voluntas Divina, siquidem est infinitè sancta,

& fons, ac origo omnis ſanctitatis, ideo debet eſſe menſura atq; prima regula omnium aliarum perfectionum, ac Sanctitatum. Nulla enim actio, nullius creaturæ operatio, ſive interna ſive externa, eſt Sancta, ſi deflectat à rectiſsima & Sanctiſsima DEI voluntate. Vide, utrùm omnes cogitationes tuæ, intentiones, verba, opera, huic regulæ altiſsimæ conformentur? utrùm ab illa non deflectant? Erubeſce, dole propone.

PUNCTUM 2dum.

Perfectio conſiſtit in hoc, ut ea faciamus, quæ Deus vult.

COnſidera, ut perfectus quis efficiatur, requiritur, ut ea cogitet, intendat, dicat, operetur, quæ DEUS vult. Proinde perfectio Religioſi non conſiſtit in jejuniis multis, in contemplationibus, ac orationibus productis, non in laboribus continuis, non in prædicationibus zeloſis, non in converſione gentium, ſed in exequendis illis, quæ DEUS vult. Omnia opera, etiam quæ optima videntur, ſi non conformantur ad voluntatem DEI, nec procedunt ex deſiderio implendi voluntatem DEI, imperfecta ſunt. Alia autem, quæ minima & viliſsima reputantur, ſi fiant ex voluntate DEI, eidemq; conformentur, ad ſupremum ſanctitatis gradum aſcendunt. Quælibet res, ſuum tempus habet teſte ſcriptura: Non ſemper eſt aptum tempus ad fundendas lacrymas pro peccatis, ad mortificandum corpus, ad orandum, ad laborandum, ſemper autem eſt tempus ad faciendam voluntatem DEI. Impletur autem hæc DEI voluntas, dum præcepta & conſilia ejus obſervantur, dum obligationibus ſui ſtatûs & officii ſatisfit, dum inſpirationes Divinæ, & gratiæ excitantes acceptantur. Dum imperia Superiorum, & Directorum animæ exactè adimplentur. Vide, quomodo in his omnibus procedas?

PUN-

PUNCTUM 3tium.

Et, ut ita faciamus, sicut DEUS vult.

COnsidera: ad consequendam perfectionem Religiosam non sufficit, ut facias id, quod DEUS vult, sed insuper requiritur, ut facias ita, sicut DEUS vult; nam facere id, quod Deus vult, & non facere ita, sicut Deus vult; est rem bonam facere malè, consequenter, est nihil facere. Porro rem bonam facere ita, sicut Deus vult, est illam facere, cum omnibus illis circumstantiis, quæ illam Sanctam & perfectam reddere possunt. Imprimis enim debet fieri eo tempore, quo Deus vult. Hinc, si quis oraret tunc, cum esset laborandum, ac legendum, vel é contra si quis laboraret, aut legeret tunc, cum esset orandum; item si quis loqueretur eo tempore, cum esset silentium servandum &c. talis non ageret ita, sicut Deus vult.

2dò. In eo loco res bona est facienda, in quo loco DEUS vult. Unde si Religiosus jejunaret ad mensam in triclinio & comederet in cubiculo, aut alibi, non faceret ita, sicut Deus vult. 3tiò Requiritur, ut adhibeatur modus ille in actione, taliq; modo res fiat, quali eam Deus vult fieri, hoc est cum ea prudentia, diligentia, fervore Spiritûs, perseverantia, cum qua Deus vult. Qui itaq; facit rem bonam, sed imprudenter, negligenter, absq; debita applicatione &c., ille non facit bene prout DEUS vult, consequenter locò præmii, iram DEI provocat, ac meretur. Excutias ergo singula opera tua, & vide utrùm omnia ita facias, sicut Deus vult.

PUNCTUM 4tum.

Idq; faciamus ideo, quia Deus vult.

COnsidera tandem ad perfectionem operum Religiosorum adhuc requiri, ut Religiosus non solùm agat id, quod Deus vult, non solùm, ut ita agat, sicut Deus vult, sed etiam ut ideo uni-

cè omnia agat, quia Deus vult. Debetq; voluntas Dei esse unicum ac speciale motivum omnium operum Religiosi, per quam etiam minima & aliàs vilissima opera dignificantur ac sublimantur. Et hæc est brevissima, ac tutissima via ad eximiam perfectionem & sanctitatem. Ille Beatus, qui eâ progreditur. Si itaq; operaris aliquid boni, quod Deus vult, & occurrit tibi in eadem operatione privatum commodum, aut solatium, aut vana gloria, necesse est, ut ab his omnibus avertas oculos, & toto intuitu solum Deum, ejusq; voluntatem spectes. Vult exempli gratiâ Deus, ut ames proximum, & fratrem tuum, hic tamen amor, non debet procedere ex naturali inclinatione, non ob temporale aliquod bonum, aut propter aliquam vanitatem, aliamq; rationem humanam, sed ex Divina voluntate. Nam agere ex naturali inclinatione: brutorum est, agere ex ratione humana: Ethnicis Philosophis commune est; agere autem ex respectu dignissimæ voluntatis Divinæ: est hominum perfectorum. Vide, cui ex his tua opera accenseri debeant? Propone, nihil aliud operibûs tuîs spectare, nisi solam Sanctissimam DEI voluntatem. Cui te subjcies per illam S. P. Ignatii Orationem.

Suscipe Domine universam libertatem meam, accipe memoriam, intellectum, voluntatem, accipe corpus & animam, quidquid habeo, vel possideo, tu mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tuæ prorsus voluntati trado gubernandum.

Quidquid vis, quando vis, ubi vis, quomodo vis, ego volo, quia tu vis.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Domine, vita est, in voluntate tua. *Psal: 29.*
Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Ps: 142.*
DEUS meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. *Psal: 30.*
Dominus est, quod bonum est, in oculis suis faciat 1: *Reg: 3.*

Meus

Meus est cibus, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me: *Ioan*: 4. Domine Rex omnipotens, in ditione tua, cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati: *Esth*: 13.

§. TERTIUS.

De Filiali affectu & devotione ad Beatissimam.

CUm totum nos DEUS habere velit per MARIAM, teste Mellifluo Doctore D. Bernardo de Nat: B. V., etiam hujus viæ ac vitæ nostræ felicem decursum per illius manus obtinere à DEO satagamus, ad eamq;, omnem fiduciam & filialem affectum concipiamus.

MEDITATIO

De Beatissima Virgine

PRæl: 1. Statuamus nos ad plantas Beatissimæ, tanquam Filii SSmæ Matris.

Præl: 2. Petenda gratia concipiendi filialis affectûs erga Beatissimam.

PUNCTUM 1mum.

Beatissima Virgo debet esse Mater nostra.

COnsidera motiva, quibus movearis ad assumendam Beatissimam in Matrem, quorum 1mum est: quia hæc est voluntas Christi Domini: sicut enim per passionem suam meruit nobis, ut essemus Filii adoptivi ejusdem DEI Patris, cujus ipse est Filius consubstantialis, ita etiam dedit nobis hanc potestatem, ut fiamus Filii adoptivi ejus Matris, cujus ille est Filius connaturalis. Est unde Christum laudemus, quòd nos ad tantam dignitatem evexerit. Canamus illi: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in DEO salutari meo, quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.*

2dum: Debemus illam agnoscere pro Matre, quia ipsa Beatissima id exoptat, sciens enim; quòd simus sanguine Filii ejus regenerati, morteq; redempti, ita nos tanquam pretium sanguinis sui Filii, æstimat, tantam curam nostrî habet, acsi ejus Filii essemus. Gratias illi agamus pro ista dignitate. Subjiciamus nos ejus Maternæ directioni, agnoscamus indignitatem nostram.

3tium: Debemus illam agnoscere pro Matre, quia illa est Mater totius Religionis nostræ. 1mo Enim ante illius Aram in Monte Serrato, in alium mutatus, & ibi primum Spiritum concepit S. P. N. Ignatius. 2do In Templo Martyrum die ipso assumptionis Primi Patres nostri vota nuncupârunt. 3tio In illius sacello ad Templum S. Pauli, publicam fecerunt professionem. 4to. Romæ primum Templum B. MARIÆ de Strada, in usum nostrorum cessit. 5to S. Ignatio Constitutiones scribenti sæpè apparuit, & in iis describendis eum instruxit. 6to Laureti Nostris mansionem paravit. 7mo Patri Guttierez apparuit, totam Religonem sub pallio suo conservans. Si itaq; sumus aliqua particella Societatis, debemus filiali affectu ferri in Beatissimam, tanquam in Matrem nostram.

4to. Debemus cum gaudio illam in Matrem acceptare; magna enim dignitas, & honor noster est, quòd possimus esse Filii Matris DEI, Reginæ totius mundi, simul autem Fratres Christi Domini. Admiremur tantam dignationem DEI, Beatissimæq; benevolentiam, assumentis nos ad tantam dignitatem. Simul tamen sciamus eam æstimare, nec dissonis moribûs profanare.

PUNCTUM 2dum.

Quas Maternas proprietates nobis testatur?

PRimò, Illa post DEUM dat nobis vitam Spiritualem, impetrando nobis gratiam sanctificantem, item gratias ad bonum excitantes,

tantes, unde statim à teneris quilibet nostrum experiebatur in se specialem affectum & propensionem erga Beatissimam.

2dò: Illa multis nos submovet periculis, tum corporis, tum animæ. Illa per impetratas illuminationes, docet nos viam Domini, & modum progrediendi de virtute in virtutem. Illa nos, in sinu suo portat, né labamur in graviora peccata, auxilia nobis obtinendo à DEO. Illa ab hostibus tuetur. Uno verbo: omnia dona DEI per ejus manus recipimus; teste enim S. Bernardo: *Omnia nos voluit Deus habere per Mariam.*

3tiò. Illa nobis præparavit Religiosam vestem, ac illâ superinduit: quia licet nos visibiliter non monuerit, ut ingrederemur Societatem; tamen illius Materna pietate factum, quòd nos in Societatem suam traxerit JESUS. Videamus, quantam Illi obligationem debemus pro hoc illius Materno affectu, quàm fideliter eidem servire teneamur.

PUNCTUM 3tium.

Quæ Filialis a nobis obligatio exhiberi debet Beatissimæ.

1ma: Obligatio filialis, honorare debito cultu Matrem. Et certè, quæ Mater dignior esse potest majore observantia & submissione nostra, quàm Beatissima, cui & Filius DEI, subditus esse voluit.

2da Filialis obligatio: obedire Matri, omnesq; nutus Matris observare. Et quomodo non obediemus Beatissimæ, quæ nonnisi à nobis ea requirit, quæ DEUS vult?

3tia Obligatio: amare Matrem. Videamus, utrùm post Deum, non mereatur Beatissima maximum amorem?

4ta: Gaudere ex augmento & dilatatione cultûs & honoris Matris, ejusq; amplificandi curam habere. Considera, quantum per tuam industriam crevit honor Mariæ? sive per sanctos de ea sermones, sive per insinuationem devotionis, ac pietatis erga illam.

4ta.

4ta: Fiducialis in omni necessitate recursus ad Beatissimam, tanquam Matrem, traditioq; sui in ejus directionem ac dispositionem.

6ta. Sæpiùs in ejus conspectum venire, eidemq; assistere. Consideremus, quomodo hucusq; eas obligationes inplevimus? & quomodo in futurum implere debeamus? Advolvamur plantis Sanctissimæ Matris, confiteamur indignos nos, qui vocemur filii. Rogemus, ut illa propter suæ Maternæ misericordiæ viscera, monstret se esse Matrem.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Salve Mater misericordiæ. *S. Bern:*

O! Domina opitulare, nonne opitulaberis? *S. Xavier.*

O! Regina præstantissima, sub tuum præsidium confugimus, sub alis pietatis tuæ protege & custodi nos. *S. Ephr: de laud. Vir:*

O! Mater DEI, memento mei, monstra te esse Matrem.

In manibus tuis ô benedicta, reposita est nostra salus. Recordare ô piissima miseriæ nostræ. *S. Bonav: in Psalt:*

§. QUARTUS.

De amore Proximi.

TAnta est conjunctio amoris proximi cum amore DEI, ut Sancta Theologia doceat ex eodem habitu supernaturali utrumq; amorem procedere; & S. Chrisost: hom: 16: in Matth: 22: dicat: *non potest hominem odisse, qui Deum amat, nec potest Deum amare, qui hominem odit.* Meritò itaq; de illo nobis meditandum est, ut sic pleniùs uniamur DEO.

MEDITATIO

De amore Proximorum.

PRæl: 1. Statuamus nos ad ad plantas Christi, tanquam Magistri

ſtri docentis, charitatem proximi: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.*

Præl: 2. Petenda gratia intelligendæ & exequendæ doctrinæ Christi.

PUNCTUM 1mum.

Quæ nos movere debent ad amorem proximi.

COgita 1mò: Quòd *Præceptum* DEI, efficaciter quemq; movere debeat ad amandum proximum: quis enim huic Domino imperanti non obtemperabit? qui Ioan: 15: præcipit: *hoc mando vobis, ut diligatis invicem.* Vide, quomodo obtemperâsti, hucusq; præcipienti Domino? amaſtine proximum ſicut te ipſum? examina, qualis convictus tuus cum fratribus tuis, & aliis proximis? & in quibus deficis, corrige.

Cogita 2dò: Id etiam quemq; movere debet, ut proximum amet, quia hic amor, eſt diſcretivum Filii DEI, ac diſcipuli Christi, ab omnibus aliis, juxta illud. Ioan: 13: *ex hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Quis non optabit diſcipulus Christi inveniri? non aliter tamen hæc tibi obtinget felicitas, niſi amorem habueris proximorum. Vide, utrùm tuum cor, non potiùs odiis, invidiâ, contemptu proximorum abundet, quam amore? Ejice omnia, charitati adverſantia. Pete accendi cor tuum igne amoris.

Cogita 3tiò: Quòd amor proximi ſit gratior DEO, quàm ſacrificium; juxta illud Marci: 12. *diligere proximum, tanquam ſe ipſum, majus eſt holocautomatibus omnibus, & ſacrificiis.* Vide, utrùm ſic æſtimes amorem proximi, ſicut tibi æſtimandum propoſuit Christus. Erubeſce, dole, & propone abhinc majorem æſtimationem illius.

Cogita tandem 4tò, quòd & hæc movere debeant ad amorem proximi. 1mò: Quia cujusvis hominis anima eſt imago

DEI. Quis autem imaginem DEI contemnere præſumet? 2dò: Quia eſt ſanguine Chriſti redempta, æternæ beatitudinis capax, ad eundem finem creata. Item eundem quiſq; habet Patrem in Cælis, eâdem menſâ Sacramentali fruitur, in eodem Chriſti corpore reſidet, tanquam membrum hujus capitis.

In eadem domo ſcilicet Eccleſia, & Religione manet. O quàm ponderoſæ rationes adſunt amandi proximum! & cur illis non movemur? cur toties imaginem DEI lædere, & contemnere non veremur? confundamur, deprecemur DEUM & proximos. Statuamus emendationem in poſterum, diſcamus ſemper in quolibet proximorum revereri imaginem DEI.

PUNCTUM 2dum.

Qualis debet eſſe amor Proximi?

COgita 1mò: Quòd rectus amor proximi, debeat eſſe univerſalis. Sicut enim Pater æternus facit oriri ſolem ſuper bonos & malos, ita & nos abſq; acceptatione perſonarum, debemus omnes amare, omnibus bene velle. Talem amorem nos docuit Chriſtus, qui omnes recipiebat ſive pauperes, ſive divites, ſive ſenes, ſive juvenes, ſive ſapientes, ſive ignaros, ſive amicos, ſive inimicos, ſive nobiles, ſive ignobiles, ſive formoſos, ſive informes. Nunquid Chriſtus non æqualiter pro omnibus mortuus? nunquid non omnes ſunt imago DEI? vide, utrùm non magis, ad hos, quàm illos fratres propendeas, utrùm particulares affectus, qui ſunt peſtis Religionum, non foveas? excute cor tuum ab omni affectu privato. Proteſtare coram DEO, quòd omnes in DEO & in omnibus DEUM amare velis. Roga id ipſum à DEO.

Cogita 2dò: Quòd amor proximi, ſalutaris, debeat eſſe efficax, & activus: non verbo enim, ſed re, & veritate amandi ſunt proximi omnes. Sicut Chriſtus multa laboravit, & paſſus

eſt

est pro salute nostra. Reflecte te, quid hucusq; ex amore proximi egisti? quid amore ejus sustinuisti, etiam ab illo ipso? utrùm potiùs illum verbo aut facto non exacerbâsti? deplora defectus, & deprecandi illum fac propositum, &c.

Cogita 3tiò: Quòd amor proximi debeat esse sincerus, non quærens, quæ sua sunt, non propriam commoditatem, mercedem, gratias, gratitudinem. Sic Christus multas sustinuit injurias, & ingratitudinem ab iis, quibus benefaciebat, neq; tamen desiit iis benefacere. Videamus ergo, an talis amor noster, erga proximos? an à benefaciendo non deterremur ingratitudine alicujus? Assumamus generosam mentem Filiorum DEI, ut à solo DEO expectemus mercedem & præmia.

Cogita 4tò: Quòd amor proximi debet esse constans, ut de Christo S. Joannes testatur: *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Examinemus, qualis noster amor in proximos? non servitné tempori? Rogemus DEUM, ut ille, vero, & constanti amore repleat corda nostra.

PUNCTUM 3tium.

Qualem conversationem exigit amor Proximi.

COgita 1mò: Quòd conversatio cum hominibus debeat esse rara, & brevis, juxta exigentiam necessitatis: nimia enim familiaritas parit odium, & contemptum. Hinc S. Ignatius consulebat taliter cum hominibus versari, sicut cum peste infectis. Et tu nonné semper velles cum hominibus versari?

Cogita 2dò: Quòd conversatio Religiosa debeat esse cum intentione recta, non ex pruritu loquendi, vel distractionis causâ, sed ob bonum salutis proximorum; hucné collimat tua conversandi intentio?

Cogita 3tiò: Conversationem Religiosam debere esse prudentem & cautam; scire enim quisq; debet, quid loquatur? quid

agat? & quomodo? omnia cum reflexione & consilio aggredienda. Proinde Religiosi debent esse tanquam illa animalia Prophetica, plena oculis, ante, & retro. Sanctus Xaverius dabat nostris instructionem, ut sic agerent cum omnibus, tanquam illos scirent futuros inimicos. Tua quanta circumspectio in loquendo? & agendo cum Proximis? Defle defectus, & in posterum meliora propone.

Cogita *4tò*: Quòd conversatio Religiosa debet esse modesta, & matura, non levis, non tetrica, cum ædificatione & suavitate sermonis, & actionum; debet item esse providens DEUM in conspectu suo. Curandum insuper, ut sit cum libertate spiritûs, non servilis, cum assentationibus, approbationeq; illorum, quæ redarguenda sunt. Tandem ne sit jactabunda suorum talentorum, dotum &c. Nihil enim magis offendit quemlibet audientem, quàm tumor & jactantia loquentis. Vide tuas conversationes, quales illæ? fructuosæne & ad ædificationem? an verò ad destructionem aliorum? Pete donum sanctè, & fructuosè conversandi cum proximis.

COLLOQUIUM cum SANCTISSIMA TRINITATE.

PAter æterne DEUS misericordiarum, da mihi, quæso, Spiritum bonum petenti, da spiritum charitatis.

Fili DEI unigenite, da mihi promissum à Patre Spiritum Sanctũ.

Veni Sancte Spiritus, & emitte Cælitùs, lucis tuæ radium, accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus.

Pater: Ave: &c: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

SUper omnia autem charitatem habete, quòd est vinculum perfectionis. *Coloss:* 3.

Verè magnus est, qui magnam charitatem habet. *Tho: à Kemp: l. 3. c 3.*

Amor

Amor ab operibus magis pendet, quàm à verbis. *S. Ign: in l. Exor:* Charitas benigna est, non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. *Cor:* 13.

HORA QUIETIS, DANDA CONSIDERATIONI Supra Charitatem Proximi.

Statue te in conspectu Dei, aut sub pedibus Christi Crucifixi.

Pete gratiam utiliter instituendi hanc Considerationem.

1. EXpende actus charitatis proximi, quorum primus est, né malum judicium formes de proximo, ac nullum condemnes apud te. *Nolite judicare, non judicabimini Matt:* 7. Socrates dum se occasio offerret judicandi de rebus ad se non spectantibus, dicebat: *quæ supra nos, nihil ad nos* Laër l: 6. Ita verus Religiosus, in occasione judicii temerarii debet se alloqui: quid ad te? num te Judicem Fratris Deus constituit? absit à me, ut quenquam judicem.

2. Excusa apud te defectus Fratrum tuorum, & te ipsum accusa, vel si opus non potes, excusa intentionem, puta casum, puta subreptionem &c. De B: Aloisio ad probandam ejus Sanctitatem, Auditores Rotæ Romanæ, inter alia documenta, & hoc afferunt, quòd aliorum dicta vel facta, in meliorem partem excusaret, vel interpretaretur. Lanc: op: 10 c. 20.

3. Nullum unquam, etiam, qui tibi vilissimus videbitur, despicias, nullum contemnas Tum quia omnes ad Imaginem Dei facti sunt, tum quia eidem mensæ Eucharisticæ accumbunt. Tum quia unius sunt Patris Filii. Tum quia ad eundem finem ordinati, nempe ad laudandum Deum. Tum quia omnes eodem pretio sanguinis Christi sunt æstimati.

4. Nulli quidquam invidere, nullum contristare, gaudere cujusq; successibus, compati afflictis, ut Apostolus docet: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Et ad Galat: 5. monet. *Non*

efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. S: Chrisost. hom: 45. in Joan: docet, quòd invidia dæmone pejorem faciat, uni ait: *Invidus ipso diabolo magis diabolus est, invidet sathan hominibus, non sociis, tu verò, homo cum sis, invides hominibus.* Hinc Zeno hortatur. *Fugiamus invidiam, obicem pietatis, obstaculum Regni Cælorum, viam gehennæ, pignus, & primitias quasdam pœnæ perpetuæ.*

5. Non obloqui cuiquam, nec defectus aliorum propalare, virtutes tantùm laudare, & considerare, studeatq; quisq; ut sit apis mella colligens, etiam ex urticis, non araneus sugens toxicũ etiam de rosis.

6. Cavere seminationes discordiarum, & curare, ut sit quisq; Angelus pacis, non sathanas rixarum excitator.

7. Nec verbô, nec risu, nec gestu quenquam impetere, aut lædere, vel contristare.

8. Blandè omnes alloqui, cum nullo rixari, nullum contristare.

9. Juvare omnes in necessitatibus, solari mæstos.

10. Particulares & inordinati affectus, tanquam pestis Religiosæ Charitatis sunt cavendi.

11. Ille est affectus inordinatus, quo quis amat plùs amicum, quàm Deum, non faciendo scilicet ea, quæ sunt DEI, ob intuitum amici, ut ei placeat, & conservet ipsius gratiam.

2dò: Qui amat amicum non propter Deum, sed propter alias vanitates. Porro ille amat amicum, propter Deum, qui eum amat ob id, quòd sit Imago DEI, quòd sit pretium sanguinis Christi. Ille item est affectus particularis, vi cujus majora amicitiæ signa ostenduntur uni, quàm alteri. Quales affectus solent esse semen invidiarum, suspicionum, discordiarum, proinde fraternam charitatem lædunt.

C A P U T 3tium.

De speciali Religiosorum cum DEO nexu.

POtissimùm Religiosi per accuratam silentii observationem ad magnam cum DEO unionem, perveniunt, ac per inviolabilia votorum vincula eidem adnectuntur. De illis itaq; meditationes proponentur.

§. P R I M U S.

De Silentio.

HOmo Sapiens tacebit usq; ad tempus, lascivus autem & imprudens non servabunt tempus. Eccl: 21: Et Spiritûs Sanctus monet: *Tace, & docebo te Sapientiam.* Iob: 33.

M E D I T A T I O

De accurata Silentii Observatione.

PRæl: 1. Statue te coram JESU, apud Judices accusato, calumniato, & ad hæc omnia tacente. *Jesus autem tacebat.*

Præl: 2. Pete à JESU tacente gratiam cognoscendi, quàm bonum sit ponere custodiam ori proprio.

P U N C T U M 1mum.

Loquacitas: multorum malorum causa.

COnsidera loquacitatem esse: 1mò. Initium omnium in Religione perturbationum. Consulat quisq; conscientiam suam, quàm multa jam in Religione à superioribus & æqualibus passus sit? & videat, qua de causa? nonné ob linguæ defectus? Agat quisq; tantûm ea, quæ illi præscribit Religio, in taciturnitate cum omni diligentia, & nihil eum perturbabit. 2dò: Effusio loquendi facit, ut nihil saporis & dulcedinis percipiat Religiosus, sive ex meditationibus, orationibusq;, sive ex usu Eucharistiæ, ex quo oriuntur in animo amaritudines, desolationes, Spiritualium rerum nausea. Vide tu, utrùm experiaris, quid sit conjungi DEO in oratio-

oratione? quid? gustare in Eucharistia, quàm dulcis sit amor Jesu. Expendeq; quid te impediat à degustanda dulcedine hac? Certè nihil, majus obstaculum ponit, quàm loquacitas. 3tiò: Loquacitas est signum, & plerumq; causa immundi cordis, juxta illud num: 19: *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immudum erit.* Tale autem vas, est os hominis verbosi. 4tò: quia loquacitas facit, ut homo facilè, ab hostibus superetur; ita docet Albertus. M. lib: de Virg: c: 3: ubi non est taciturnitas, ibi homo facilè ab adversario superatur. Et spiritus S. Proverb: 25: hominem loquacem comparat Urbi muris destitutæ, dicens: *Sicut urbs patens, & absq; murorum ambitu; ita vir, qui in loquendo, non potest cohibere Spiritum suum.* 5to: loquacitas facit, ut quisque facilè dissipet spiritum, quem cum labore collegit, utq; vana sit ejus Religio, juxta S. Jacobi doctrinam. Expende hos loquacitatis fructus, quàm sint mali, detestandi; & propone seriò cavere eam. Pete ad id gratiam DEI.

PUNCTUM 2dum.

Taciturnitas & silentium: multorum bonorum fons & origo.

COnsidera bona, quæ ex taciturnitate proveniunt. 1mo: interna pax & donorum Dei communicatio. 2do: per silentium evitantur jurgia, & alia non levia peccata, insuperq; satisfit pro peccatis linguæ. 3tio: impetratur donum fructuosè loquendi, & concionandi ad corda hominum. 4to: impetratur gratia attentè, & sine distractionibus orandi; 5to: impetratur gratia Dei ex intimo affectu tempore agoniæ pronuntiandi Sacrosancta Nomina JEsu & Mariæ, 6to: silentio addictis largitur Deus benedictionem, ut examina ex suis studiis, ac disputationes cum satisfactione omnium, & decore Religionis absolvant. Sicut enim Deus, abutentibus linguâ ad loquacitatem, subtrahit ejus usum in necessitate, ita è contra juxta præscriptum Religionis, silentium servantibus, dat abundantem

abundantem gratiam loquendi in necessitate ocurrente. Adhucne hæc bona non æstimabis Religiose? nonne justum est, ut propter illa consequenda adames silentium, & omni loquacitati renunties?

PUNCTUM 3tium.

Media ad servandum silentium.

COnsidera: 1mum Medium servandi silentii esse, ut nunquam otieris, sed omnia ex præscripto Religionis, quàm exactissimè peragas. 2dum. Ut conventicula caveas, & societatulas, quæ tibi necessitatem imponunt garriendi, deseras. 3tium Medium, ut in singulas septimanas, statuas, specialem correctionem circa speciale loquendi tempus, & locum. Sitq; tibi loqui in Refectorio, scandalum, in alieno cubiculo, suspicionibus & interpretationibus obnoxium. 4tum Medium est, ut contrahas habitum & consuetudinem, nunquam incipiendi loquelam longiorem, quîn prius intingas linguam tuam, in vulneribus Domini JESU.

IN COLLOQUIO.

STatue te coram Sanctissima Trinitate, tanquam linguæ tuæ creatrice; pete ab illa, ut ponat signaculum super os tuum, nè loquendo exerres, exerrando DEUM offendas.

Statue te coram Domino JESU tacente, & velatos oculos habente, & pete, ut hoc ipso velo, os tuum adstringat.

Pete à Beatissima, ut tibi à Filio suo impetret gratiam sanctè loquendi, dum loquendum est, & religiosè tacendi, dum tacendum.

Pater: Ave: Anima Christi.

ACTUS SÆPIUS USURPANDI.

Bonum est præstolari cum silentio salutare DEI. *Thren:* 3.

Qui vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo. 1. *Petr:* 3.

Et erit opus justitiæ, pax, & cultus justitiæ, silentium. *Isa*: 32. Qui moderatur sermones, doctus & prudens est. *Prov*: 17. Faciliùs est omnino tacere, quàm verbò non excedere. *Tho: à Kemp: l.* 1. *c.* 78.

§. SECUNDUS.

De 1mo *Religiosi nexu cum DEO.*
Per Paupertatem.

NOn tibi displiceat Paupertas tua (hortatur S. August: verb: Apost: serm: 28.) *nihil eâ potest ditius inveniri. Vis nosse, quàm locuples sit? Cælum emit. Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Matth: 5. Unde gloriatur Vates: *Ego autem mendicus sum, & pauper. Dominus sollicitus est meî.* Psal: 39.

MEDITATIO

De Paupertate Religiosa.

PRæl: 1. Constitue te ad pedes Christi, in forma discipuli, & audi doctrinam ejus: *Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Præl: 2 Pete gratiam renuntiandi ex animo & plenè omnibus terrenis, eorumq; amori.

PUNCTUM 1mum.

Quid Religiosa Paupertas?

COnsidera; non omnem Paupertatem esse virtutem, nec quamlibet esse Religiosam paupertatem; quia inter mendicos est paupertas, & ordinariè non est virtus; vellent enim quàm plurima habere. Item avari, & parci, victu & vestitu pauperrimo utuntur; non tamen sunt pauperes Christi. Illa itaq; paupertas, est virtus Religiosa, quâ quis voluntariè, propter amorem DEI, expeditioremq; ejus cultum, necnon Christi imitationem, omnia bona creata terrena contemnit, desideriumq; habendi ea, & a-

morem

morem exuit, idq; ipsum juxta mentem suæ Religionis, votô firmat, solo necessariarum rerum usu cum dependentia, & arbitrio superioris, retento. Vide Religiose, & singula diligenter expende. Consecutusné es virtutem paupertatis Religiosæ? reliquistiné omnia? & quidem non ob alios respectus, tantùm ob amorem DEI, & Christi imitationem? exuistiné amorem omnium rerum terrenarum? nihilné habere cupis? contentusné vivis iîs, quæ tibi providet DEUS in Religione? Examina conscientiam tuam, an adhuc non facias tibi spem redeundi ad relicta? an aliquid tibi in futuros usus non reservâsti? abjice nunc omnia ad pedes Christi. Pete, ut ille te recipiat, & efficiat discipulum suum.

PUNCTUM 2dum.

Quotuplex Paupertas Religiosa?

CONsidera aliam paupertatem esse communem, seu communitatis, & totius Religionis, quæ pro varietate Religionum, varia & multiplex est, ad proprium Religionis cujusq; finem, & instituti rationem accomodata. Alia est particularis, quæ singulis personis alicujus Religionis, convenit, debétq; notitia illius comparari, ut sciat quævis persona Religiosa, ad quid obligatur vî sui voti. Hæc autem paupertas debet esse & rerum & Spiritûs: nam vera & plena Religiosa paupertas, in his duobus consistit. 1mò: Ut Religiosus nihil omnino suum proprium, nihilq; superfluum, nisi usum rerum necessariarum, cum facultate superioris habeat. 2dò: Ut nihil desideret habere, nec in defectu necessariorum turbetur, queruletur, sed hilari mente degustet fructus paupertatis. Vide itaq;, & expende, quôusq; in voti paupertatis integritate prosequenda deveneris? nihilné habes proprium? nihilné habere desideras? omniané, quibûs uteris, sunt cum facultate superioris? non reperiunturné apud te superflua? non tenerisné inordinato amore aliquarum recularum? Pete à

Christo, ut disrumpat omnia vincula, quæcunq; cor tuum illaqueant, ut illi in vera rerum & Spiritûs paupertate sacrifices hostiam laudis, & verus ejus discipulus evadas.

PUNCTUM 3tium.

Quæ proprietates paupertatis Religiosæ?

COnsidera paupertatis Religiosæ conditiones, ac proprietates, quarum 1ma est: ut Religiosus sine facultate superioris nihil prorsus habeat, tam penes se, quàm penes alium, neq; palam, neq; clam, tum pro se, tum pro aliis; alioquin erit proprietarius. 2da Proprietas, ut Religiosus non solùm nihil habeat proprium, sed etiam nihil singulare, hoc est, non tale, quale alii in eadem communitate habere solent, sive in victu, sive in vestitu, sive in alia supellectili. 3tia Ut Religiosus nihil præferat in cultu molle; qui enim mollibûs vestiuntur, in domibus Regum sunt, non in domo Christi pauperum. 4ta Paupertatis proprietas est, ut non quærat quidem Religiosus exquisitum nitorem, tum circa se, tum in rebus sibi in Religione concessis; conservet tamen omnem decentiam, cum modestia. Unde S. Bernardus profitebatur se paupertatem amare, sordes tamen odisse, & revera talis paupertas esse debet in domo DEI, in communitate Religiosa, quæ habeat decentiam, modestiam, honestatem, & ordinem. Proinde omnia, quibûs utitur Religiosus, sint decenter munda, & composita, sive in vestitu, sive in cubiculo &c. 5ta Paupertatis proprietas est, ut omni studio res ad usum concessæ conserventur, nec per negligentiam Religiosi corrumpantur. 6ta: Ut inopia paupertatis, hilariter sustineatur. Vide, an tua paupertas contineat omnes istas conditiones? Erubesce, quòd ad paupertatem in Religione venisti, illam tamen in omnibus fugias, nec sunt dulces gutturi tuo fructus ejus. In domo paupertatis requiris commoditates, quas nec in sæculo haberes.

Excute

Excute hanc mentis cæcitatem; excute ignaviam, & pleno corde plenam paupertatis possessionem occupa. Postula à Deo Spiritum paupertatis, per JESU Christi vulnera. Implora suffragia Beatissimæ ac Sanctorum Patrum tuæ Religionis, in exquisitissima paupertate olim viventium.

Pater: Ave: &c: Anima Christi. &c.

HORA QUIETIS DANDA CONSIDERATIONI.

Supra varios Actus Paupertatis Religiosæ.

Constitutus ad pedes Crucifixi, pete gratiam cognoscendorum actuum paupertatis, & fructuosæ supra illos reflexionis.

1. AMare paupertatem ejúsq; effectus amore filiali tenere, & internè prosequi.

2. Revereri, tueri, appretiare, defendere, integram per omnia conservare tum in se, tum in aliis Religiosam paupertatem minutissimis etiam in rebus, eo modo, quo cives muros, aut castella conservare solent integra.

3. Nihil omnino, absq; facultate superioris dare, donare, domesticis, externisq; aut ab iisdem accipere.

4. In omnibus quantumvis parvis, non gravatè, sed libenter facultatem petere, & quidem cum indifferentia, imò cum inclinaiione, ut negetur facultas, & gaudere, si negetur, non tristari, non conqueri.

5. Nihil habere penes se & interre culas suas, quod nolit quis sciri aut videri aut auferri à Superioribus, in aliorumq; usum converti, sed ab omnibus rebus affectum avulsum habere.

6. Nihil ex alienis cubiculis, vel etiam ex publicis locis accipere sine facultate Superiorum.

7. Nihil habere superfluum, nihil pretiosum, comptum, exquisitèq; nitidum, etiam cum facultate, aut permissu, dissimu-

latione Superiorum: nam superflua nec concedi possunt, nec concessa licita sunt, ipsa enim concessio illicita est; itaq; paupertatis amator, omnia superflua, in victu, vestitu, libris, cubili &c. resecabit.

8. In necessariis etiam viliora eligere; quantò enim Religiosus pauperiùs vestitur, dormit, inhabitat, tantò paupertati suæ congruentiùs afficitur.

9. Non erubescere paupertatem, & nuditatem Christi, sed gloriari in Domino, in paupertate & rerum vilitate, quod tamen non *jactabundè* fieri debet, sed propter abnegationem majorem mundiq; contemptum, ex internæ humilitatis Spiritu, & filiali, in paupertatem amore.

10. Res vetustatem redolentes, laceras, amplecti, novis & integris præferre, de illis gloriari, de his erubescere.

11. In distributione rerum non prævolare alios, sed sibi extremas res ab aliis abjectas offerri appetere, acceptare, eligere.

12. Incommoda & defectus necessariorum dissimulare, silentiô tegere, amanter sustinere.

13. Non statim nec solicitè indigentiæ provisum velle, sed potiùs experimentô probare, an sit vera indigentia? ac tandem modestè sedatèq; exponere, nec urgere; quod multò ampliùs servandum in provisione futurarum indigentiarum.

14. Non circumferre secum de loco in locum multam supellectilem rerum, sed quantum fieri potest, minùs onustum migrare ac progredi.

15. Incumbere totis fiduciæ viribûs, in Dei providentiam; tanquam infans in curam Matris.

16. Suspectum habere id omne, ac illo se spoliare, atq; abjicere, quod superioris notitiam consensumq; declinat, ac formidat.

17. Non libenter acceptare ea beneficia externorum, quibûs in eos vel alios obsequium exhibitum, compensari probabiliter putatur

tatur. Quod autem puræ eleemosynæ titulô obvenit, id gratanter, ac velut cælitus, Angelicoq; instinctu oblatum admittere.

18. In judiciis de necessitatibus, non proprio regi sensu, sed superiorum arbitriô, judicioq; eorum acquiescendum.

19. Exposita necessitate apud superiorem, nihil determinatum poscere aut suadere, non tempus, non locum, non personam, non rem, non modum, aut medium. Sed omnia arbitrio Superioris permittere, ut ille expensîs omnibûs circumstantiîs decernat, quod illi optimum videbitur in Domino.

20. Non exigere, nec curare, ut nostrî causâ, sumptus fiant, etiam necessitatis gratiâ, multò minùs cupiditatis impertinentis causâ, quæ plus quandoq; necessitatis fictæ, quàm veræ continet.

21. Semper mendicatô, vel acsi mendicatô vivere, omniaq; tam petere, quàm expectare, quàm etiam accipere, tanquam mendicantes solent; quilibet enim Religiosus, qui votum paupertatis fecit, verè mendicum se omnium constituit.

22. Reposita in futurum usum, apud se non servare, sed in communibus depositoriis conservanda reddere, ut, si quis eguerit, etiam uti possit; talia enim apud se servare, proprietatem redolet.

23. Bene impressum menti habere, quòd Religiosus quidquid acquirit, non sibi acquirit; quidquid operatur, non sibi operatur, ac laborat, sed Religioni, & omnia ad dispositionem Religionis spectant.

24. In itineribus ex obedientia susceptis, vitare sumptus & onera, quàm maximè. Si Superior offerat viaticum, aliunde non conquiratur aliud. Sin autem aliunde oblatum sponte fuerit, manibus Superioris consignandum est.

25. Munera nec cuiquam offerre, nec acceptare libenter; magis enim consonat Religiosæ paupertati, habere nihil, quod donare

nare Religiosus possit. Nec quisquam erubescere debet, pauperem se profiteri, qui nihil habet, quod donet; si tamen aliquid donandum erit, illud sit è penu pauperum, neq; tanquam proprium detur; aliunde vero donatum, non sibi, sed Religioni accipiatur, statimq; consignetur ejus manibus, cui talium rerum cura demandata est.

Hunc paupertatis Spiritum, in Christi, Beatissimæ, *S*anctorum Apostolorum, vitis ac gestis expressum habemus, & quidem ad id, ut imitemur; hunc in regulis Societatis ac exemplis Patrum nostrorum efformatum legere possumus.

Investiget itaq;, & dispiciat quisq;, quantum sibi adhuc desit ad culmen Evangelicæ paupertatis, Christiq; pauperis imitationem; conatumq; suum cum DEI auxilio exacuat, ut illud assequatur.

§. TERTIUS.

De secundo Religiosi cum DEO, nexu, per Castitatem.

UT scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat Sapientia, scire, cujus esset hoc donum. *Sap:* 8.

O Castitas, quæ cor possidentis te, lætificas, & animæ ad Cælestia alas adjungis! ô castitas, quæ passiones minuis, & animum à perturbationibus liberas! ô castitas, quæ justos illuminas & diabolo tenebras offundis! &c. *S: Ephr: t: 1. Ser: de Cast.*

MEDITATIO

De Castitate.

Præl: 1. Imaginare te in conspectu Angelorum stare, ad quorum puritatem *S:* Ignatius suis Regulis hortatur.

Præl: 2. Pete gratiam cognoscendi excellentiam castitatis, efficacémq; conatum adhibendi, quo Angelicam mentis & corporis puritatem consequaris.

PUN-

PUNCTUM 1mum.

Quid Castitas,

COnsidera Castitatem consistere in puritate, munditia, ac integritate mentis & corporis. Ut Religiosus consequatur puritatem mentis, custodiat cor suum, ab omnibus cupiditatibus impuris, & aspectibus. Item imaginationem ab omnibus imaginibus inhonestis, mentem ab omnibus cogitationibus huic virtuti contrariis. Ut verò puritatem corporis consequatur, custodiat corpus suum, ab omnibus voluptatibus, & illecebris sensualibus, omnésq; sensus suos ab oblectamentis. Expende, consecutusné es hanc virtutem? conservasné puritatem mentis & corporis? Vide, puræné tuæ cogitationes & imaginationes? Puriné affectus & desideria? Puriné oculi? aures? lingua? manus? Erubesce, deplora omnes sordes tuas, elue in lacrymis tuis & sanguine Christi omnes maculas sensuum, & cordis tui. Pete à Deo: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.

PUNCTUM 2dum.

Quæ excellentia Castitatis?

COnsidera 1mam excellentiam Castitatis, quòd juxta veritatis Divinæ oraculum, incorruptio faciat proximum Deo & Angelis ejus; sicut enim opposita castitati luxuria efficit homines brutis ac bestiis similes, ita Castitas efficit divinos. Et quid potest excellentius de castitate dici? proinde etiam miratur Sapiens. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis enim est memoria illius, quoniam apud Deum nota est & apud homines. Sap:* 4.

2da Castitatis excellentia, quia adhuc in hac mortali vita, elevat hominem ad eum vitæ statum, quem habiturus est in futuro sæculo, de quo Christus asserit. In Resurrectione neq; nubent, neq; nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI.

3tia Excellentia Castitatis est, quia illam Deus summè æstimavit,

mavit, volendo Matrem habere Virginem, & ex Virgine nasci. Item quos elegit in discipulos, voluit eos casté vivere.

4ta Excellentia, quia castæ animæ efficiuntur gratissimæ Deo habitationes, & Spiritûs S. Templa, ut in iis libentiùs præ aliis Deus resideat.

5ta Est, quia castitas efficit maximè capacem animam donorum Dei, ac luminum ejus.

6ta Excellentia Castitatis est, quòd cum cultoribus puritatis libentiùs Cælites ac Angeli præsertim Custodes commorentur, & specialiùs eos tueantur. Sicut S. Agnes gloriatur: *Mecum habeo Custodem corporis mei Angelum Domini.* Vide, quanti æstimare debeas hanc virtutem? quantum de illius conservatione solicitus esse? æstimasné illam? fugisné occasiones periculosas, huic virtuti obnoxias? obfirma animum in illius amore. Appretia eam.

PUNCTUM 3tium.

De mediis Conservandæ Castitatis.

COnsidera 1mum & efficacissimum medium esse statum Religiosum, qui plenus est mediis & auxiliis ad observandam castitatem, habetq; exclusa procul omnia pericula ejus. Deinde plurima, ad ejus curam continet invitantia exempla. Hinc Religiosis vix aliqua est difficultas in observatione castitatis, dummodo vivant juxta præscripta Religionis.

2dum Medium est: Accuratus usus Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, ubi fontem omnis puritatis recipit homo.

3tium Medium: fuga occasionum & familiaritatum.

4tum Meditationis, præcipuè de Passione Christi, de novissimis, constans & fervens studium.

5tum Directio & vigilantia Superiorum & Patrum Spiritualium, quibus, quò se sinceriùs aperit Religiosus, eò securiùs incedit.

6tum Extirpatio amoris sensualium ac odium illorum.

7mum Conservandæ castitatis medium est, accuratum & constans perfectionis Religiosæ, virtutúmq; Religioso statui convenientium studium. Castitatis enim Religiosæ, maximè proprium est, omnium virtutum Societatem requirere; quia sinè earum consortio subsistere nequit; vix equidem aliqua virtus est, cujus præsidiô castitas non egeat. Sic multùm conservatur humilitate, timore Dei, temperantiâ, mortificatione interna & externa, Orationis studiô, & similibûs, sine quibus certò certiùs Castitas aut diu non manet, aut si permaneat, Deo non placet; per quod ipsum, in periculo ruinæ constituitur. Excita te ad hæc media sedulò adhibenda. Pete auxilium Dei, & Beatissimæ protectionem.

COLLOQUIUM cum CHRISTO.

O! JESU Virgineæ castitatis amator & auctor, te per omnia viscera misericordiæ, & bonitatis tuæ rogo, ut Cor mundum crees in me; quis enim mundum de immundo potest efficere, nisi tu, qui idem ipse es. *Pater: Ave: Anima Christi. &c:*

HORA QUIETIS, DANDA CONSIDERATIONI.

Supra gradus Religiosæ Castitatis.

Constitutus ad pedes Crucifixi pete gratiam fructuosæ reflexionis supra gradus perfectæ Castitatis, auxiliúmq; eos consequendi.

1. NUnquam consentire scienter & advertenter in ullam noxam mortalem Castitati mentis corporisq; contrariam.

2. Parî studiô & diligentiâ vitare peccata etiam venialia puritati contraria, ideòq; nullis fæditatibus cogitandis vel imaginandis advertenter immorari, sed ubi illas quis adverterit, statim eas sic excutiat, prout excutitur scintilla ignîs, in faciem vel vestem insiliens.

3. Nullius objecti aut personæ intuitu, approximatione, con-

versatione moveri aut titillari, etiam obiter, statimq; se ab illa expedire; proinde utilissimum erit assuescere cum omnibus agere, omnes intueri, quomodo agimus cum statuis, aut eas intuemur sinè ulla impuritatis, in mente vel sensu, nota, & sinè ulla reflexione & descensu mentis ad impura. Proderit etiam taliter versari cum vivis, ut, quales sunt futuri post mortem, cogitemus.

4. Cavere, imò & immunem esse ab omni bruto mentis & carnis motu in vigilia; hoc enim rationi aduersatur. Illi autem cum Dei gratia perveniunt ad hunc gradum, qui mentem suam piîs, aut etiam necessariîs utilibûsq; & propter Deum occupatam, & nunquam otiosam oscitantémq; habent. Qui enim mentem suam non occupant seriîs, & ad Deum spectantibûs rebûs atq; objectîs cogitandîs, ii non mirentur, si mente impingant in sordes, quæ aut sponte in mente, phantasiáq; enascuntur, tanquam urticæ in terra, ex neglectu culturæ, aut illæ ab hoste animæ facilè oggeruntur, qui semper in vacantem domum divertere consuevit, annuente Evangelio.

5. Nihil pati in somnis, quod mentis corporisve puritati adversetur; id enim signum est defæcatæ mentis ac expurgatæ ab omni fæditate, & indicium vigilantis circa talem animam Divinæ gratiæ ac Angelicæ custodiæ, quæ arcens omnia impura, sola Sancta, aut Sanctitati non opposita admittat ad imaginationem dormientis hominis.

6. In audiendo vel loquendo, tractandoq; ejusmodi materias, quæ continent ejusmodi sensualia, brutáq; objecta, prout accidit in audiendis confessionibus, vel in doctrinâ de his materiis ad conscientias resolvendas, ita se gerere, & ita hæc tractare integrè, quasi de lapidibus, de ædificiis tractatio sermove haberetur. Castis enim casta sunt omnia. Quemadmodum radius solaris cum eodem nitore procedit per lutum, ac aurum, nihil de luto, sordium contrahens.

Sciendum

Sciendum verò, quòd ad primum castitatis gradum omnes omnino tenentur, quo ruente corruit substantia Sanctitatis & votum sacrilegè frangitur. Ut autem in primo securè quis consistat gradu, necesse est, ut servetur & secundus gradus; hîs verò duobûs diligenter observatîs, paratur ad reliquos ascensus, adhibitîs congruîs mediîs, & à Societate præscriptis, & in meditationibus insinuatis. 3tius & 6tus gradus est summopere necessarius Religiosis Societatis, cum omni genere proximorum versantibus. Ad quos ritè tenendos, tum ipsa vocationis gratia, tum media efficacia præscripta mirificè adjuvant, ut non difficile sit iis, qui cum DEI gratia velint, Angelicam mentis & corporis puritatem conservare.

§. QUARTUS.

De Tertio Religiosi nexu cum DEO.
Per Obedientiam.

OMnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro Sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. *Matth: 7.*

MEDITATIO
De Obedientiæ voto.

PRæl: 1. Cogitate audire S. Paulum dicentem: *obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim vigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Hebr: 13.

Præl: 2. Pete gratiam, ut possis obligationes obedientiæ, ejusq; perfectionem cognoscere, & cognitam implere, atq; sic votum ejus perfectè servare.

PUNCTUM 1mum.
Quid Obedientia?

COnsidera obedientiam à S. Thoma definiri, quòd sit virtus

promptam hominis reddens voluntatem, ad implendam voluntatem præcipientis. Clariùs à V. P. Druzbicki describitur, quòd sit virtus, qua homo, suæ propriæ voluntatis, suiq; ipsius regimini, arbitrio & curæ renuntians, omnem suî curam & gubernationem, voluntariè in DEUM, ejusq; vicarios, Superiores suos refundit, & ad id votô perpetuô se adstringit, cupiens & paratus, & gaudens se à DEO, per Superiores suos, vicarios ipsius DEI, in omnibus gubernari. Quàmdiu Religiose in sæculo fuisti, liberum erat tibi, hoc agere, quòd velles, hîsce negotiîs occupari, quibûs velles, in eo loco manere, cum his sociis versari, in quo loco te tua voluntas collocaret, & quibus hominibus te conjungeret; nunc autem cum te servitio DEI addixisti, tuæ voluntati & arbitrio renuntiâsti, & multò magìs, si votô hoc ipsum confirmâsti ac confirmare paras, jam non secundùm tuum velle, & arbitrium vivere, agere, associari, sed omnia juxta voluntatem DEI, per Superiores tibi annuntiatam, operari debes. Illud sibi quilibet Religiosus, dictum putet, quòd Christus S. Petro dixit. Ioan: 21: *Cùm esses junior, cingebas te & ambulabas, ubi volebas, cum autem senueris, alius te cinget, & ducet, quo non vis.* Poteras in mundo, propriô regi arbitriô, & in tua erat potestate subjicere te, vel non subjicere alterius gubernationi & voluntati. Cùm autem jam id propter DEUM fecisti, spontaneum & rationabile, voluntatis propriæ sacrificium DEO offerendo, cave, ne quid ex oblatis DEO, subtrahere præsumas. meliùs enim in mundo erat vivere, quàm in Religione non obedire, meliùs non vovere, quàm non reddere, quod vovisti. Considera item in Societate obedientiam non consistere in sola executione imperati à legitimo Superiore, sed etiam in subjectione voluntatis propriæ, & judicii, ut idem velit subditus, idémq; intelligat, quod & Superior: exequendo scilicet imperata,

ta, cum abdicatione propriæ voluntatis, & judicii, non considerando in Superiore illius ipsius personam, erroribus obnoxiam, sed personam Christi Domini, cujus ille nomine præest, & imperat, & Religiosi obedire debent. Vide, an paratus sis ad talem obedientiam, in Societate, totâ vitâ præstandam, offer te DEO plenè. Pete auxilium DEI.

PUNCTUM 2dum.

Fundamentum Obedientiæ.

COnsidera 1mum fundamentum obedientiæ Religiosæ constitui, in absoluto DEI, super omnes creaturas, dominio, & in absoluta, omnium creaturarum, ad DEUM subjectione. Ex quo DEUS est absolutus omnium Dominus, potest, quidquid, & quando vult, ordinare, aut statuere de omni creatura; hæc autem tenetur omni naturali jure subjici, & parere cuivis ordinationi Divinæ, & voluntati ac legi ejus. Hunc verò gubernandi modum, exercet DEUS per alias creaturas, quas præesse facit: *Omnis enim potestas est à DEO:* cui potestati, nolle subesse, nolle obedire, est nolle subesse ipsi DEO, nolle audire DEUM, juxta illud Evangelii: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Unde verus obediens in suo Superiore, non illius personam defectuosam, sed Personam & authoritatem, ac potestatem ipsius DEI considerare debet, à quo tanquam à causa principali, per hominem tanquam instrumentum DEI, procedunt omnes dispositiones, & imperia. Vide tuam hac in parte obedientiam, innititurné huic fundamento? agnoscisné in tuo Superiore DEUM? agnoscisné in ejus ordinationibus voluntatem, authoritatem, potestatem DEI? Damna & defle tuam inconsiderationem, & negligentiam. Propone emendationem. Implora DEI opem.

PUN-

PUNCTUM 3tium.

De secundo fundamento Obedientiæ.

COnsidera solidissimum obedientiæ fundamentum oriri tum ex inenarrabili imperfectione, ac infirmitate naturæ nostræ, atq; potentiarum animæ, intellectûs & voluntatis: quæ sinè magno periculo errorum, & ruinæ, servire nobis nequeunt, ad nos ipsos gubernandos. Tum ex summa perfectione Divina, & sapientissima ejus providentia submovente nos, ab ejusmodi erroribus & ruina. Cùm enim intellectus, & prudentia nostra sit imperfectissima, & vix aliquid evidenter cognoscere sufficiens, ut sæpiùs hæreamus dubii, hæcné? an illa sint agenda? appetenda? sequenda? multæ insuper agendorum circumstantiæ, nos latent ignotæ; præsertim, quia plura intellectum nostrum, à vero, ad falsum detorquent, prout passio amoris, aliæq; passiones immortificatæ impellunt. Voluntas item nostra cæca, & libertas multis subjecta defectibus, ex se maligna & sedes omnis malitiæ, ad omne bonum tarda & difficilis, persæpe rectæ rationi rebellis, ad agendum bene, inefficax. Ut itaq; talibus malis, & periculis evitandis remedium haberetur, providit Sapientissimus DEUS, & suô exemplô docuit Christus obedientiam, ipse factus obediens usq; ad mortem, vi cujus abnegantes, nostrum judicium & voluntatem, soli Divinæ voluntati tanquam Sanctissimæ, rectissimæ, Sapientissimæ, dignissimæ, inhæreamus, & eam nobis per Superiores manifestatam exequamur. Quis igitur suo arbitrio, tam imperfecto & perverso? quis suæ voluntati tam infirmæ, tutò fidere volet? nonné consultius est, ut abrenuntiet suæ voluntati & judicio? & per votum obedientiæ, totum se DEO sacrificet, ejusq; Sanctissimam sequatur voluntatem? Certus es Religiose, quòd DEUS sit sapientior, quàm tu, sit melior, dignior, diligentior, quàm tu: amantior tuî, quàm tu te ipsum ames; rectiùs ergo & prudentiùs ille

te

te gubernabit, & omnia circa te disponet, quàm tu tibi velles. Si enim Deus melior & sapientior, quàm tu: meliora tibi providebit, quàm tu tibi velle posses. Si Deus potentior, quàm tu; faciliùs illi erit, præstare & efficere omnia, ad vitam & salutem necessaria, quàm tu tibi præstares. Proinde bonitati ipsius confisus, omnem curam tui, in eum reponas, & omnem cogitatum tuum, jacta in Deum. Si Deus fidelior, quàm tu tibi esses; illius itaq; providentiæ te totum credere debes, útq; fidelis ejus servus inveniaris, toto conatu satagas. Si Deus tuî amantior, quàm tu ipse; ampliùs igitur de illius charitate, in te confidere, & in eo sperare potes, quàm à te ipso & amore proprio. Exue itaq; amorem proprium & totum te trade Deo. Si diligentior Deus circa te, quàm tu ipse; securiùs ergo in illius cura quiesces, quàm in tua. *Non enim dormitabit nec dormiet, qui custodit. Israel.* Si deniq; Deus dignior, quàm tu; utiq; digniùs est, ut illi tu potiùs, quàm tibi tuæq; voluntati obtemperes? & subsis? Expende hæc omnia diligenter, & te filium ac mancipium Divinæ Providentiæ recognoscere studeas, ipsiq; te totum committe, tuam sapientiam, potentiam, bonitatem, amorem abjice, Divinam autem ama, omnémq; solicitudinem tuam projice in Deum, quoniam ipsi est cura de te.

COLLOQUIUM.

Per Orationem *S.* Ignatii: *Suscipe* Domine univers: &c.

HORA QUIETIS, DANDA CONSIDERATIONI.

Supra Perfectiones Obedientiæ.

Constitutus sub pedibus Crucifixi, pete gratiam fructuosæ considerationis ac reflexionis, supra Obedientiæ perfectiones, earumq; donum consequendi.

1. PErfectio obedientiæ Societatis est: Superiorem, quicunq; ille sit, supremus, an medius, an infimus, doctus an indoctus,

præditus donis naturæ & gratiæ vel non præditus, locò Christi Domini agnoscere, eumq; internâ reverentiâ & amore tanquam Christum prosequi.

2. Perfectio obedientiæ Societatis est omnia imperata Superioris exequi integrè, promptè, fortiter, cum humilitate debita, sinè excusationibus, querelis, obmurmurationibus, sive illa sint levia, sive difficilia & sensui repugnantia.

3. Perfectio obedientiæ Societatis est: habere plenam interiùs resignationem, & veram abnegationem voluntatis propriæ, atq; judicij, conformando utrumq; cum eo, quod Superior vult sentit, & quidem in omnibus omninò rebus, ubi manifestum peccatum non cernitur.

4. Perfectio obedientiæ, Societatis est: relinquere Superiori liberam dispositionem de se, & de omnibus rebus suis, cum vera subjectione, nihil clausum occultumq; Superiori tenendo, nè conscientiam quidem propriam, neq; ejus judicio ullatenus repugnando, ut taliter uniti, meliùs in Dei obsequio, conserventur & progrediantur.

5. Perfectio obedientiæ, Societatis est: obedire etiam ad tenuissimum quodvis signum, quô voluntas Superioris exprimitur ac innotescit, & quidem punctualissimè.

6. Perfectio obedientiæ, Societatis est: ad vocem Superioris & ad signum campanæ ita promptum esse, ac si illa ipsa Christi vox esset, actione qualibet, atq; literâ inchoatâ, & imperfectâ relictâ.

7. Perfectio obedientiæ, Societatis est: non solùm Societatis vel domûs Superiori, sed etiam subordinatis officialibus obedire, magna cum humilitate, in rebus omnibus ad eorum officium pertinentibus.

8. Perfectio obedientiæ Societatis: habere semper ob oculos

Creato-

Creatorem & Dominum nostrum, propter quem, obedientia homini præstatur.

9. Perfectio obedientiæ Societatis est: obedire non in Spiritu & perturbatione timoris, quod est mancipiorum & jumentorum, sed in Spiritu amoris, quod proprium est filiorum, & ingenuæ mentis.

10. Perfectio Societatis: ad eum scopum vires omnes ac intentionem in Domino convertere, ut Sancta obedientia tum in executione exteriùs, tum in voluntate ac intellectu interiùs subditi, sit semper omni ex parte perfecta.

11. Perfectio obedientiæ Societatis est: obedire cum magna alacritate.

12. Perfectio obedientiæ Societatis est: obedire cum Spirituali gaudio, mentisq; exultatione, ex eo potissimùm, quòd certus sit, qui obedit, Dei voluntatem se facere.

13. Obedire cum perseverantia, quæcunq; injuncta fuerint, omnia Divina, Deoq; placita esse, sibi persuadendo.

14. Obedire cum judicii proprii abnegatione.

15. Quisq; persuadeat sibi, quòd ii, qui sub obedientia Societatis vivunt, se ferri ac regi à Divina Providentia per suos Superiores sinere debent, perinde acsi cadaver ac senis baculus essent, qui ad nutum volentis tractari se sinit.

16. Talis obedientiæ præter exemplum Christi & Apostolorum, habemus exempla domestica.

S. Franciscus Xaverius ita erat obedientiæ Studiosus, ut vix indicata S. Ignatii voluntate de missione Indiarum à se suscipienda, statim omnes difficultates & discrimina contemnens ad iter se pararet, nec minori alacritate illud aggrederetur. Et S. Ignatius adeo ejus obedientiæ confidebat, ut literis, quibûs eum ex India revocabat Romam, solam literam J. in calce adscripserit, non du-

bitans, quin ea sufficeret, ad iter pari alacritate remetiendum, quâ antea fuerit susceptum. *Vit: l: 2. ac 6. c: 8.*

S. Franciscus Borgias non solùm omnes suos Superiores magnâ reverentiâ colebat, sed etiam Fratris Marci à *S.* Ignatio sibi additi, omnes nutus observabat. In Ognatensi secessu lapides, calcem, & ligna ad ædes construendas portare jussus, tam libenter & expeditè paruit, acsi Angeli vocem audivisset. *Vit: lib: 4. c: 3.*

S. Aloysius nullum unquam vel levissimum imperium prætérivit. Erga Vicemanuductorem tantam reverentiam, & observantiam exhibebat, ut ipsum R. P. Generalem, vix majore colere posset. *Vit:*

M E D I T A T I O.

De Collectionum Terminatione.

PRæl: 1. Statuamus nos, in Conspectu Dei, *S.* Patris, & aliorum Religionis Sanctorum.

Præl: 2. Petamus gratiam colligendi fructûs, ex Collectionibus absolutis.

P U N C T U M 1mum.

Post absolutas collectiones perfectius est vivendum.

COnsideremus rationes, ut nobis id persuadeamus. Earum 1ma est: quia in collectionibus discere debuimus, ex Magisterio Spiritûs Sancti, quid à nobis requirat Deus? quid vita Religiosa? quid propria cujusq; salus & conscientia? illis autem intellectis, juxta hanc notitiam non agentes, similes reddimur illi servo cui Christus minatur Luc: 12: *Servus sciens & non faciens multis vapulabit.* & Matt: 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes istæ, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pænitentiam egissent.* Certè enim si istas doctrinas audirent sæculares, etiam Hæretici, fortaſsis ferventiùs Deo servirent.

2da Ratio est: quia in vanum tot dierum labor periret, si ex illo nullus fructus perciperetur. Quid enim prodest semper discere ædificare, & nûnquam manus, ad exstruendas ædes, admovere? Quid juvat si quis discat artem pictoriam, & nunquam penicillum moveat? Cui utilitati, artis medicariæ præcepta nosse, & nullius San tatem curare. Ita pariter quid profuit, in exercitiis Spiritualibus, condiscere viam Domini, ac modum rectè vivendi, & Religiosas actiones perfectè agendi, si hæc notitia non deducatur in effectum. Audiamus, quid Christus Dominus, Joan: 15. asserat. *Si non venissem, inquit ille, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.*

3tia: Quia ob id tantum nos Religio ab aliis occupationibus liberat, ut per collectiones novum Spiritum, & fervorem acquiramus. O quanta esset deceptio Religionis, si absq; fructu Spirituali, ab his collectionibus rediremus? Videamus itaq;, quos fructus ex iis efferemus? Videamus, ad quem finem creati sumus? & tendemusné ad eum omni conatu, labore, intentionibûs? Didicimus alia omnia creata data nobis à Deo, tanquam media, quæ nos juvent ad finem nostrum consequendum, nempe ad laudem & amorem Dei, nostrámq; salutem obtinendam. Statuimusné, firma proposita, nullâ unquam creaturâ abutendi, cum minima etiam offensa Dei? Intelleximus, quòd peccata impediant nos, in quærenda laude & amore Dei, ac salute nostra; qua itaq; diligentia & solicitudine illa vitabimus? & omnes occasiones præscindemus? quod odium peccati concepimus? Consideratio de novissimis, de morte, Judicio, inferno &c: præsidium nobis afferre debet, adversùs omnes insultus hostium; designavimusné tempus, locum, ac alias circumstantias, in quibus expedit eam considerationem, quàm frequentissimè renovare? quâ item constantiâ sub vexillo Christi stetimus? quô animô impium itineris comitem, te-

 porem

porem, exclusimus? quas virtutes in comitatum assumpsimus? Reflectamus nos supra omnia lumina, cælitus nobis immissa, supra omnia proposita. Rogemus Deum, ut ille confirmet, quod est operatus in nobis.

PUNCTUM 2dum.

Reflexio supra gratias à Deo acceptas in his collectionibus.

1mò. MAgnum Dei beneficium, quia nos sanos per collectiones conservavit, 2dò: Quia hoc tempus, ad exercitia nobis suppeditavit, aliis id negando. 3tiò: Quia nos per gratiam *Spiritûs Sancti*, in multis illuminavit & res saluti congruas edocuit. 4tò: Quia dedit occasionem varios exercendi Actus Virtutum, Fidei, spei, Charitatis, humilitatis, mortificationis. 5tò: Quòd nos saltem in aliquibus meditationibus, dulcedine suæ suavitatis visitaverit, horrorem & odium peccati dederit. Has & alias gratias, per hos dies liberalissimè effudit in nos Deus. Igitur magnificemus, extollamus Bonitatem Dei, agamus gratias, invitemus Sanctos ad benedicendum Deum, Magnificate Dominum meeum Sancti Dei, & exaltemns Nomen Ejus in id ipsum. Confiteamur indignitatem, ac ingratitudinem nostram. Rogemus, ut hæc sua dona conservet in nobis, & ad ea, quæ cognovimus, implenda, tribuat auxilium.

PUNCTUM 3tium.

Cognitio defectuum commissorum & eorum suppletio.

COnsideremus, 1mò: Utrùm præscriptum ordinem temporis in absolvendis hisce exercitiis observaverimus? 2dò: Utrùm alicui exercitio tempus non subtraxerimus? 3tiò: Utrùm omnia cum sublimata intentione & alacriter peregimus. 4tò: Utrùm fructus & lumina immissa adnotavimus, 5tò: Utrùm & quæ proposita

fecimus

fecimus. *6tò*: Utrùm nos quandoq; non vicit somnolentia. 7mò: Utrùm silentium, modestiam, servavimus? hos & omnes alios defectus, suppleamus fervore Spiritûs, & affectibûs aliorum omnium, qui hæc exercitia Sanctè peregerunt, qui hoc ipso tempore peragebant, in toto Orbe. Eluamus in lacrymis omnium pænitentium, & in Sanguine Christi omnes defectuositates nostras, omnia nostra suspiria, vota, cogitationes, affectus, devotionem, uniamus cum Orationibus Christi, Beatissimæ, Sanctorumq; Omnium, & hæc aspersa Sanguine Christi, deponamus, in vulneribus JESU, ut sic gratiora omnia fiant in Conspectu Dei.

Memores etiam simus indulgentiæ consequendæ:

Te DEUM Laudamus &c.

VIA REGIA

Ad

INQUIRENDUM,

Et

INVENIENDUM

JESUM.

Veſtigiis Trium Regum

Religiosam Juventutem innovando Spiritui deditam

DEDUCENS.

RENOVATIO.

Spiritûs ad normam Trium Regum.

MEDITATIO 1ma.

De Investigatioue Christi à Renovaturo Spiritum, adinstar SS. Trium Regum.

PRæl: 1. Spectabo tres Reges inquirentes Christum natum.

Præl 2: Petam gratiam imitandi tres Reges in Christo inquirendo.

PUNCTUM 1mum.

Quid inquirant Reges?

COnsidera, quòd tres Reges non inquirunt suum honorem, æstimationem, vanos plausus hominum: non inquirunt commoditates propria, sed inquirunt Christum natum: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* Vide tu Religiose, quid in tuis actionibus quæras? purené quæris Christum? an tua commoda, laudes, aliorum respectus? Examina singulas diei actiones, à prima surrectione, intendisné in Visitatione Sacramenti, in quotidianis meditationibus, manualibus, Officiis, ac functionibus, in lectione libri Spiritualis, examinibus, ac aliis invenire JESUM? non magisné te ipsum? tuîq; amorem, quàm JESUM quæris? Et tamen Reges illi fuerunt gentiles, non habuerunt tam efficacia media, ad quærendum JESUM, qualia tu habes in Religione. Erubesce coram DEO tuas pravas intentiones, in operibus diurnis. Retracta eas, protestare, quòd abhinc, nihil aliud velis, nihil aliud desideres, quàm Christum in omnibus quærere, & invenire. Quid mihi est in Cælo, & à Te quid volui super terram? præter te DEUS cordis mei & pars mea DEUS in æternum. Abrenuntio omnibus vanitatibus, abrenuntio amori proprio, exuo me affectu omnium rerum terrenarum. Nihil

 aliud

aliud cogitare, nihil velle, nulli rei affici, nisi tibi DEO meo cupio. Tibi adhærere DEO meo, bonum est, DEUS meus & omnia.

PUNCTUM 2dum.

Quo conatu inquirunt?

COnsidera, quòd Reges quærant Christum magno conatu, fortitudine, perseverantiâ: non illos abstrahit à quærendo Christo, longitudo viarum non deterrent pericula, & incommoda itinerum, non reducunt respectus Regis Herodis, & totius Hierosolimæ, non revocat propriæ valetudinis prætensio, non temporis hyemalis inclementia. Semel egresi ad inquirendum Christum, constanter procedebant, fortiter superabant obstacula & incommoda, contemnebant respectus humanos, & tamdiu illum quæsiêrunt, donec invenirent. Vide & tu Religiose, an pari constantiâ, fortitudine inquiras Christum? contemnisné omnes respectus humanos? paratusné ad omnia incommoda superanda? Exclusistiné omnes vanos timores, in via perfectionis, & Christi inquisitione. Erubesce tuam pusillanimitatem. Pete à DEO donum fortitudinis & perseverantiæ in bono. Gratulare Sanctis Regibus ita generosum Spiritum, in Christo inveniendo, supplica iisdem, ut tibi similem Spiritum, & dona impetrent, â Christo JESU.

PUNCTUM 3tium.

Ubi quærunt & inveniunt Christum?

COnsidera, quòd Reges non invenerint Christum in palatio Herodis, & celebri civitate Hierosolima, sed in vili ac paupere stabulo, in duro præsepio, in fasciis stringentibus & ligantibus JESUM, in sinu Beatissimæ Matris. Et tu Religiose frustra tentas invenire Christum in deliciis, commoditatibus, otio, in affluentia rerum omnium. Non ibi debet quæri, nec ibi

inveni-

invenitur JESUS, sed invenitur in rerum egestate, & vera Spiritûs paupertate, ut nihil desideres, nihil habere appetas, sivè in victu, sivè in amictu, sivè in habitatione, præter ea, quæ tibi suppeditat Religio, imò ex his etiam viliora, abjectiora eligere, aut saltem in tuo desiderio & animo habere deberes. Si vis Religiose sincerè invenire Christum? quære eum in mortificatione continua, tum exteriore, tum interiore, in observatione regularum, in sinu B. Virginis, hoc est, in Castitate, promptaq; in omnibus obedientia. Ibiné hucusq; Christum quæsivisti? Erubesce, deplora, quòd dies tot absumpsisti, & non invenisti Christum, pauperem, modestum, humilem, mansuetum obedientem. Desidera illum invenire & complecti, ut possis cum S. Paulo verè gloriari: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. Pete id ipsum à Beatissima Matre DEI.

MEDITATIO 2da.

De mediis inquirendi Christum.

PRæl: 1: Spectabo tres Reges inquirentes Christum Natum.

Præl: 2. Petam gratiam imitandi tres Reges in Christo inquirendo.

PUNCTUM 1mum.

Egrediendum de mundo, & relinquenda omnia, ut inveniatur Christus.

COnsidera: 1mum Modum, seu medium, quo tres Reges inquirunt, & inveniunt Crristum, esse egressionem de domo sua, abstractionemq; suî à Parentibus, cognatis, amicis, juxta illud, quod DEUS dixit ad Abraham. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de terra tua, & veni in terram, quam monstravero tibi.* Ità tres Reges, egressi sunt de terra sua, reliquerunt Regna, commoditates, delicias, domos, amicos, notos suos, & iverunt in terram, quam illis DEUS monstravit in lumine stellæ; propterea etiam invenerunt Christum, tu Religiose

egressusné es de mundo? de domo tua? de cognatione tua? & quidem non solùm corpore, sed etiam cogitatione, & affectu? non residesné adhuc mente in domo paterna? non prospectasné retrò terram, ex qua exîsti? non jactarisné tædiis, ac desideriis, ad cognationem tuam. Abstrahe ab his omnes cogitationes, & affectus tuós. *Obliviscere populum tuum & domum Patris tui*, monente Psalmista Psal: 44. Si vis invenire Christum. Pete à DEO cor mundum, & ab omnibus transitoriis expurgatum, ut verè Christum in eo concipias, & parias. *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis.* Psal: 50.

PUNCTUM 2dum.

Stellâ Cæli, duce, quærendus & inveniendus Christus.

COnsidera 2dum Medium inquirendi, & inveniendi Christi, esse Cæli lumen, hujus ductum secuti sunt SS. Reges & invenerunt Christum. Et tibi Religiose lumen rationis, & veræ fidei principia, non ferales mundi cometæ sequendi sunt, si optas Christum invenire, tum hîc in vita perfectiore, tum ibi in æternitate. Non præluceat tuis actionibus fatua carnis, ac mundi sapientia, sed æternas cum omni Sanctitate, & justitia connexas attende veritates. Non te fallaciæ mundi decipiant, non carnis prudentia infatuet: Prudentia enim carnis, mors est, & sapientia hujus mundi, stultitia est apud DEUM. Vide itaq; quibûs regulis, atq; principiis utaris, ad tuam vitam ordinandam? Cæconè impetu naturæ, & passionum ad ordinaria agenda impelleris? an omnia in lumine Cæli peragis? Plusné gratiæ DEI illuminanti defers? an sensualitati, & amori proprio obcæcanti mentem? Vide omnes progressus vitæ tuæ, & quidquid tenebrosum inveneris, stude ab animo tuo amovere. Pete à DEO, ut te semper illuminet, & rectâ viâ deducat. *Illuminare his, qui in tenebris, & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

PUN-

PUNCTUM 3tium.

Resignatione sui in DEI voluntatem invenitur Christus.

COnsidera multa occurisse tribus Magis, retrahentia illos, à præcogitata, & arrepta via ad Christum quærendum. 1mo retrahebat eos amor Regnorum, & libertatis. 2dò Retrahebant difficultates viarum. 3tiò Pericula tum relictæ domûs, & sui populi, tum suarum personarum ad remotas terras pergentium; cæterùm illi totos se, ac sua Regna Divinæ Providentiæ commiserunt, nihilq; soliciti de suis Regnis, nec de suis suorumq; subditorum periculis, ingresi sunt viam, constanter inquisituri Christum. Nec statuebant terminos suæ inquisitionis, vg. si hic vel ibi eum non inveniemus, revertemur domum; sed multa emensi itinera, tamdiu sustinebant incommoda, superabant difficultates, procedebant in itinere, donec in illius amplexum pervenirent confisi Divinæ Providentiæ. Ita & quemvis Religiosum decet, ut se totum divinæ committat providentiæ, nec sit solicitus de suis, nec de se ipso, nec sibi eligat locum, tempus, officia, in quibus quærat Christum. Jacta cogitatum tuum in DEUM, dicit Psaltes, & ipse te enutriet. Noli unquam cogitare de victu, de loco mansionis tuæ, de functione, quam obiturus es in Religione, DEO committe omnia, & quietus vives. Cogita tu de DEO, & DEUS cogitabit de te, & sapientiùs, meliûs, disponet universa, quàm tu tibi optare posses. Crede illius Bonitati, & Sapientiæ. Confide providentiæ, & beatus eris, nunquid tu melior, aut sapientior, aut potentior illo? dic ergo; non mea Domine, sed tua fiat voluntas, in me, de me, circa omnia mea, suscipe universam libertatem meam, Intellectum &c. &c.

MEDITATIO 3tia.

De aliis mediis inquirendi, & inveniendi Christum.

PRæl: 1: Spectabo tres Reges inquirentes Christum Natum.

Præl:

Præl: 2. Petam gratiam imitandi tres Reges in Christo inquirendo.

PUNCTUM 1mum.

Promptè obediendo invenitur Christus.

COnsidera, quàm perfectissimæ obedientiæ exemplum nobis tres Reges reliquerunt. 1mò: Enim non audierunt loquentem sibi DEUM, signum tantùm voluntatis ejus adverterunt, & statim obedièrunt: *vidimus stellam ejus, & venimus.* Inter videre stellam, & venire, nihil interpositum. 2dò: Non ignorabant itinerum molestias, terræ, & àëris injurias, aliaq; incommoda, per hæc tamen nolebant se excusare ab exequenda voluntate DEI. 3tiò: Non defuerunt multorum exempla eandem stellam spectantium, quos cura domûs, affectus propinquorum, propria commoda retinebant, horum tamen exemplis non cesserunt tres Reges, nec se ab obedientia retrahi permiserunt, pluris voluntatem DEI, quàm omnia creata æstimando, illud volventes mente: *Quis ut DEUS.* 4tò: Non sufficiebat tribus Regibus, exîsse de sua terra, alienas lustrâsse oras; sed tamdiu persistebant in frangendis itinerum difficultatibus, quamdiu perfectè non fuerint executi voluntatem DEI, quàmdiu non invenirent Natum Christum Dominum. Talis debet esse Religiosi Societatis obedientia, ut se ad quodvis, etiam signum voluntatis Superioris promptissimum exhibeat. Nullas excusationes prætendat, aliorum exemplîs, aut respectibûs non labefactetur, & omnia sibi injuncta plenissimè impleat. Vide jam, utrùm talis hucusq; fuerit tua obedientia? deplora ejus defectus, propone in posterum subjectissimus vivere in Religione, pete auxilium à DEO.

PUNCTUM 2dum.

Castè vivendo invenitur Christus.

COnsidera, quòd tres Reges tunc primum inquirunt, & inveniunt

niunt JESUM, cùm ſe abſtraxerint à domeſticis voluptatibus, cùm oculos, & mentem ad Cæleſtia elevaverint, cùm cor ſuum terrenîs rebùs evacuatum, inveniendi Chriſti deſideriîs impleverint. Vide quanta fuerit puritas in oculis eorum, qui deſpectîs mundanîs, Cæli lumen proſpiciunt. *Vidimus ſtellam ejus.* Quanta puritas in ore, qui nihil aliud, niſi de Nato Chriſto, & ejus adoratione colloquuntur, *ubi eſt? qui natus eſt, venimus adorare eum.* Quanta puritas in intentione, qui non ſe ipſos, non quidpiam aliud, niſi ſolùm JESUM in omnibus quærebant. Vide tu Religioſe, quanta ſit puritas tuarum cogitationum, intentionum, animæ, & corporis, omniumq; ſenſuum? quibûs ſermonibûs lingua tua occupatur? ſuntnè de divinis? an de vanitatibus? Erubeſce, defle defectus, elue oculos tuos in lacrymis Puelli JESU. Propone cuſtodiam ſenſibus tuis.

PUNCTUM 3tium.

Multa patiendo, invenitur Chriſtus.

CONſidera, quæ, & quanta patiantur Reges? ut inveniant Chriſtum. 1mò Patiuntur jacturam Regnorum, quæ relinquebant. 2dò: Patiuntur longioris viæ moleſtias. 3tiò: Hyemis inclementiam. 4tò: Patiuntur ſubtractionem ſtellæ, quæ illis ad tempus diſparuit. 5tò: Patiebantur periculum vitæ, dum Herodes turbatus eſſet & omnis Hieroſolyma cum eo; hæc tamen omnia pacatô animô, generoſa mente ſufferebant. Non querulabantur, non deſperabundîs agitabantut cogitationibûs, non mærore conficiebantur, ſed pleni ſpe, congrua adhibebant media, quæ illis ſuggerebat DEUS, non allucente ſibi Cæli ſtella, intrarûnt civitatem, exquirebant ab hominibus, ubi naſceretur Chriſtus. Ita & Religioſus ſe gerere debet, ita patienter omnia ſufferre, ita conſtanter ſuſtinere incommoda, ita fortiter pati deſolationes. Vide, qualis tua patientia? quæ in adverſis fortitudo?

quis in tolerandis desolationibus, animus? Agnosce & deplora tuam infirmitatem, & impatientias. Implora Dei auxilium, & pete Spiritum patientiæ. Gratulare SS. Regibus eam constantiam in patiendo, roga, ut tibi eundem Spiritum impetrent à parvulo JESU, statim à cunabulis multa propter nos patiente.

MEDITATIO 4ta.

De Adventu Regum in Conspectum Christi.

Præl: 1. Cogitabo tres Reges, accedentes ad stabulum Christi.
Præl: 2. Petam gratiam imitandi tres Reges.

PUNCTUM 1mum.

Accedunt Reges ad Christum.

COnsidera, quâ modestiâ, quâ reverentiâ, cumque admiratione, ac stupore accedant tres Reges ad parvulum JESUM, ut & tu similiter te componas, accedendo ad orationem, & ad Christum in Eucharistia, tum visitaturus eundem, tum communicaturus. Vide, quòd Reges non horreant sordes stabuli, non despiciant paupertatem aut infirmitatem Infantis, sed ex Cælesti lumine, agnoscunt hunc puerum, esse Deum; ut & tu non deterrearis paupertate, aut contemptu, à servitio Dei; ut discas, postquàm Deus pro te vilis factus est, non inveniri JESUM per viam æstimationum, plausuum, ac gloriæ humanæ. Reflecte te, quantùm tibi sapiat vilitas & humiliatio Christi? quantùm æstimes ejus paupertatem? Dole, desidera à Christo Spiritum ejus. Pete eandem gratiam à DEO Patre.

PUNCTUM 2dum.

Reges salutant Christum.

COnsidera, quàm profunda suî demissione venerantur Christum Principes, teste Evangel: Matth: 2. *Et procidentes adoraverunt*

runt eum. Imprimis procidebant in terram, profundissimæ reverentiæ signum exhibendo, deinde animô in abyssum nihili sui se abjiciendo, suámq; indignitatem consistendi in Conspectu tantæ Majestatis profitendo, tum Supremum Infantuli Christi dominium, atq; suam subjectionem, & in omnibus à Deo dependentiam recognoscendo, tandémq; perfecto cultu Latriæ eum adorando. Expende, quid ad tantam Pueruli æstimationem induxerit Reges? Induxit eos primò viva fides, quâ in humilitate Infantis agnoscebant sublimitatem divinam, & quem videbant parvum in præsepio, credebant immensum in Cælo, ô si & tu cognosceres ubiq; Deum existentem! modestiùs viveres, si vivaciter crederes in Eucharistia præsentem, cum majori ejus reverentia, & tui animi subjectione, ac tui contemptu ad illum accederes! Secundò induxit eos propria suî notitia, & vanitatum contemptus. Ex ignorantia enim suî ipsius, oritur superbia, & cæcitas mentis; stude cognoscere te ipsum, & despicies te; æstimabis autem, & revereberis Deum. Noverim te Domine, noverim me, nec aliud desiderem, æstimem, præter Te, Tibi serviam, Te amem, Te laudem omnibûs diebûs vitæ meæ.

PUNCTUM 3tium.

Affectus trium Regum erga Christum.

COnsidera, quos affectus elicuerint Sancti Reges, in adoratione Christi. 1mò: Vivam fidem suam professi sunt in eum. 2dò: Gratias egerunt, quòd per stellam eos ad se adduxerit, illísq; se manifestaverit. 3tiò: Gratias egerunt, quòd dignatus sit incarnari, nasci in mundo, ad redimendos homines. 4tò: Obtulerunt se ad perpetua ejus obsequia. 5tò: Proposuerunt eum ubiq; prædicare, ad ejusq; cognitionem suos subditos educere. Excita in te similes affectus, offer te ad quævis ardua pro Christo ferenda.

MEDITATIO 5ta.

De Conversatione Regum cum Christo.

PRæl: 1: Spectabo tres Reges ante parvulum JESUM procidentes, & ei munera offerentes.

Præl: 2, Pete gratiam fructuosæ meditationis, de hoc Mysterio.

PUNCTUM 1mum.

Colloquium Regum cum Christo.

COnsidera Reges facta profunda veneratione parvulo JESU, sic illum alloquentes: O Fili Dei, quid Tibi cum filiis hominum? quid luci cum tenebris? quid sapientiæ cum eo, qui comparatus est jumentis insipientibus? quid immensitati cum exigua infantis statura? Aut etiam illud ex Psalmo: Quid est homo, quia sic magnificas eum? aut quid est Filius hominis, quia sic apponis erga eum cor tuum? Deinde audi parvulum JESUM, veluti respondentem: Deliciæ meæ sunt, esse cum filiis hominum. Natus sum propter vos ô homines! ut & vos velitis renasci Deo, & innovari Spiritu. Factus sum caro, ut vos abstracti à carne, soli Deo vivatis, nec sapiatis, nisi quæ sunt Spiritûs. Factus sum homo, ut in vobis desinat vetus esse homo. In terram veni, ut vos, terram deseratis, terrenaq; omnia, & in Cælis sit conversatio vestra. Parvulus sum datus vobis, ut me faciliùs capiatis, ut ad me securiùs accedatis, utq; quilibet hominum parvulus fiat in oculis suis, non intumescat. Erumpe & tu Religiose in affectus cum tribus Regibus: Et quæ jam abhinc erunt deliciæ meæ, ô Deus Infans! nisi esse tecum, cum tuæ deliciæ sint, esse mecum, ô Parvule, magne! ô maxime, parve! accedo ad te, & procido ante te, ego figmentum tuum, opus manuum tuarum, calca Domine, deprime hanc meram pulveris massam à te animatam. Vilescam pro te ô parvule Deus, ut Tua gloria augeatur.

PUN-

PUNCTUM 2dum.

Colloquium trium Regum cum Beatissima, & S: Josepho.

COnsidera tres Reges, omni reverentiâ factâ Beatissimæ Virgini, inquisivisse ab illa: cur ô Sanctissima Mater hunc Infantem divinum reclinâsti in præsepio? cur illum non intulisti in nobiliorem locũ? & eam respondentem audi: *quia in propria venit, & sui eum non receperunt.* Statim etiam ab Infantia docere voluit: Discite à me, qui mitis sum, & humilis corde. Vide ô Religiose, utrùm & in te infans JESUS invenerit locum? utrùm, & tu pulsantem ad te recepisti? dic cum Psalte: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. En Domine totus sum Tuus, totusq; esse volo in æternum, sicut Tu totus meus esse voluisti.

PUNCTUM 3tium.

Munera offerunt Reges.

COnsidera tres Reges, quòd apertîs thesaurîs obtulerunt Christo, Aurum, Thus, & Myrrham. Non comparent vacui in Conspectu Christi, donant illi, quidquid habent pretiosum, nec dubium est, quòd obtulerint etiam id, quòd hîsce muneribûs designatur, cum Auro charitatem, cũ Thure devotionem, cum Myrrha mortificationem. Vide ô Religiose, an cum hisce donis coram Christo compareas? Experirisné in te Charitatem, erga Deum, & proximos? adhibesné Devotionem in Orationibus tuis, & obsequiis Divinis? non fugisné mortificationem? Erubesce. Implora Dei Gratiam, offer te Deo ad omnia ejus beneplacita.

MEDITATIO 6ta.

De Regibus abeuntibus à Christo.

PRæl: 1. Cogitabo tres Reges abeuntes à Christo.
Præl: 2. Petam gratiam fructuosæ meditationis de hoc Mysterio.

PUNCTUM 1mum.

Monentur in somnis, né redeant ad Herodem.

COnsidera Providentiam Dei, circa Reges, qui facta promissione Herodi de suo ad eum reditu, perplexi hærebant, an eâdem, quâ venerunt, an aliâ redirent viâ: in qua perplexitate creditur illos recurrisse ad Deum, & imploràsse lumen, ut & tu Religiose discas in dubiis per orationem recurrere ad Deum, implorare auxilium ejus. Mittit postea Deus Angelum, qui doceat Reges, ô quanta est Dei Providentia circa eos, qui confidunt Deo! Agnosce & tu, & lauda Dei Providentiam. Repone te & tua in ejus sinum. Committe te Illi regendum in omnibus dubiis, & adversis. Crede, quòd tibi benè erit, ex illius dispositione. *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine, Bonum est, sperare in Domino, quàm sperare in Principibus. Psal:* 117.

PUNCTUM 2dum.

Valedicunt Christo.

COnsidera, quanta affectûs teneritudine advolvuntur plantis JESU, abeuntes Reges: quibûs suspiriîs, & devotione benedictionem, ac dona in futurum postulent: directionem suî in totam vitam implorent? quas protestationes constantis sui in Christum affectûs faciant: quibûs propositîs se obfirment! quâ demissione coronata capita sua inclinent, ad infantuli JESU benedictionem: Approba hos omnes Regum affectus, complace tibi in illis. Offer eosdem Parvulo JESU; ac in omnes vitæ Religiosæ annos, pete ab eodem benedictionem. Protestare, quòd velis ei fideliter, constanter, ac ferventer servire in hac Religione.

PUNCTUM 3tium.

Per aliam Viam revertuntur.

COnsidera, cur Reges non hâc viâ, quâ venerunt, redeant? 1mò: Quia in illa priore via, amiserant stellam, inciderant in Herodem & periculum, facta promissione redeundi. Et tu Religiose cautus sis tum propriîs, tum alienîs periculîs. Procul ab iis occasionib9 recede, eas conversationes fuge, in quibus aut lumen gratiæ Divinæ subtrahitur, aut Regulæ franguntur, aut periculum aliquod instat. 2dò: Ut ostenderet alios nos debere abire, à consortio & conversatione cum Christo, sive per orationes, sive per communionem habita cum illo, quàm antea essemus. Proinde ex illius usu semper humiliores, modestiores, patientiores, spiritualiores esse deberemus. Reflecte te, quos fructus hucusq; collegisti ex tot meditationibus, communionibus, aliisq; Exercitiis spiritualibus? Erubesce, dole, alius semper & alius esse desidera. Pete à Christo, ut illo præduce, de virtute in virtutem progredi valeas.